









I  
3 1

up me a : ]

H G



DE H A E R E T I C I S A C I-  
uili Magistratu puniendis Libellus, ad-  
uersus Martini Bellii farraginem, & no-  
uorum Academicorum sectam,

Theodoro Beza Vezelio auctore.



Oliua Roberti Stephani.  
M. D. LIII.



5

# DE H A E R E T I C I S A C I-

## uili Magistratu puniendis, Libellus.

**V**V M hoc tempore, si vñquam aliás, Ecclesia Dei ab infinitis hostium copiis pertinacissimè domi & foris oppugnetur, mirū est tam paucorū animos ad opem illi ferendam commoueri. Nam alii superiorū temporum pacem & tranquillitatē requiriunt, ii scilicet quibus id vitæ genus maxime placet quod cum summa ignorātia coniunctum est: alii deplorandis huius temporis calamitatibus toti sunt occupati, neque interim de adhibendis remediis cogitant: nonnulli securè hæc omnia derident: paucissimi verò pro virili his malis occurrere conantur: i: que porrò quoties à Dei Spīritu excitati communibus malis occurrūt, tantum abest vt à plerisque recipiātur, vt contrà, sicut olim Moysi Israelis liberatori contigit, innumerabilem, in se hostiū multitudinem cōcident, qui se illorum conatibus per simulationē pietatis opponant. Eius ingratiani insigne exemplū nuper spectauimus, cuius indignitas fecit vt mihi hoc tēpore minimè tacedum putarē. Quum enim ab hinc annū Deus Optimus, Maximus, iustissimus iniuriarū suarum vindex, Seruetum illum impurissimū hæreticum ex Pontificiorū faucibus ereptum, tanquam de manu Geneuensi Reipublicæ tradidisset, per quam homo ille omnium qui adhuc vixerunt maxime impius & blasphemus, scelerum suorum pœnas daret: in ea re administranda eius vrbis amplissimus Senatus ac Ministri pro se quisque ita se gessere, vt

neque industriā ac pietatem in patefaciéda ac refel-lenda illius impietate, neque charitatem ac diligen-tiam in homine ad pœnitentiam reuocando, neque prudentiam ac fidem in tractanda ipsius causa, ne-que in maiestate Dei asserenda constantiam ac ani-mi magnitudinem meritò requiras. Quum igitur in carcerem coniectus esset, ecce statim quidam Sa-tanæ emissarii clamitare cœperunt iniquissimum esse, Seruetum bonū illum & doctum virum (quem etiam ipsi optimū suum fraterculum appellare nō erubescabant) ex vinculis apud eos causam dicere qui Christianam libertatem iactarēt. Deinde quū his clamoribus neminē præter paucos sui similes commouerī cernerent, omissa Serueti ipsius causa, animi morbo & impotenti ambitione quasi æstu quodam abrepti, stomachū omnem suum euomere in eos cœperunt quorum vigilantia Seruetum de-prehensum, in vincula coniectum, atque adeò con-uectum esse intelligebant. Putarunt enim homines astuti commodam sibi oblatam occasionem ad eo-rum nomen obscurandum, quorum splendore mi-serè iampridem vrebantur: nempe si illos calum-niati essent, Seruetū deferendo, neque ministrorum Ecclesiasticorum officium fecisse, neque commo-dum ullum Ecclesiæ spectasse, sed priuatæ suæ cu-piditati induisse pietatis nomē, vt eum à quo erant lacesciti, per causam religionis opprimerēt. Et hæc quidem illi, quandiu in carcere fuit Seretus, non obscurè iactare soliti sunt: & sicut olim Donatistæ, modò sciscitari ecquod eiusmodi exēplum in Scri-pturis extaret: modò negare Magistratum ciuilem

in hæreticos ius vllum habere: quinetiā cum summa eius Reipublicæ infamia , quoties sese illis offerebat qui huc ad nos veniret, ridētes dicere eū ad alterum Papam proficisci, eāmque Ecclesiam pietatis ac doctrinæ exemplis florentissimam impudenter tissime vociferari nouam esse instauratæ Papisticæ crudelitatis officinam. Sed neque deterreri potuit fortissimus ille Senatus quominus adhibitis in consilium cæteris Heluetiæ Ecclesiis, in vindicanda Filii Dei maiestate officium faceret : neque Ministri ac Pastores futilibus istorū calumniis abduci quominus palam orthodoxam de Trinitate defensionem instituerēt, simūlq; hæreticos iure gladii coercendos, & nominatim de Serueto iure sumptū fuisse supplicium, libro edito declararent. Vixdum autem in lucem exierat liber ille, quum boni isti & clementes hæreticorum patroni nouum consilium capiunt. Quia enim illius hæreses videbāt à Christians Ecclesiis maximo consensu damnatas, existimarent si causam illius aperte susciperent, neque satis tutò, neque cum aliquo fructu id sese facturos. Itaque sic causam istam agere instituerūt, ut de Serueti negotio ne verbum quidem facerent, sed in genere ostenderēt hæreticos, vt sacros quosdam homines, à nullo attingendos, aut certè ciuili Magistratui in eos potestatē nullam concedi: quum præsertim hoc argumentum propter Antichristi immanitatē plerisque gratum ac plausibile fore existimarēt: à quibus postquam hoc impetrassent, impunè postea ipsis liceret in orthodoxas Ecclesiias grassari. Sed ne hoc quidem nisi admodum callidè & circumspectè sunt

aggressi. Nam neque nomina huic libro sua inscribi, neque in persona sua pleraque dici voluerunt: sed farraginē quādam ediderunt partim ex doctorum & piorum quorundam tum veterum tum recentiorū lucubrationibus mala fid: collectam, partim etiam ex suis & aliorum quorundam fanaticorum libris consarcinatam. Addita etiam præfatio est eius qui synopsim illam collegit, Martini cuiusdam Bellii nomine, quem hominē sancè miror quū cæteris in rebus tam audax sit & temerarius ut gloriam etiam inde captare videatur, tamen in ista clementiæ propugnatione tam fuisse formidolosum, vt non nisi personatus in publicum prodire sit ausus. Tandem verò vt prioribus posteriora responderent, aliis quidam Bellii istius cōsistorium particeps, Basilii Montfortii nomine refutacionem adiunxit eorum quæ pro perseguitione dici solēt. Ita enim homines ingeniosi supplicia appellat quibus nocentissimi homines afficiuntur. Et istum quidem minimè miror in alieno nomine quam in suo apparere maluisse. Quum enim illis in quos scribebat se fuisse nimis notum esse intelligeret, iustum sancè hūc ipsius metum fuisse concedo. Sed in eo apparet singularis ipsorum audacia, tum quod ausi sint illustrissimo illi ac verè Christiano principi Virtebergenſi præfationē illam & indoctam & impiam inscribere, tum etiam quod Magdeburgi ciuitatis illius clarissimæ & fortissimæ nomē apponere ipsos non puduerit. Nam, vt de libro ipso taceam, certè illa Bellii præfatio talis est vt optimum illum principem, & pios illos Magdeburgenses ciues non dubi-

tem, sicut ab eiusmodi blasphemis tota mente abhorret, ita minime passuros fuisse ut quisque ipsorum auctoritate ad eas blasphemias in vulgus edendas abuteretur: eosque ego ad id inspiciendum magnopere cohortor, quod isti plane digni sint quorum poena ac animaduersione ea ipsa quam afferre institui doctrina sanciatur. De me vero ut aliquid dicam, ita me fateor, istorum facinus vulnerauit, ut me neque natura mea ab omni contentione abhorrens impedire, neque imbecillitas, cuius mihi sum conscius, retinere, neque huius argumenti gravitas deterrere potuerit quominus istorum audaciæ & impudetiæ me opponerem. Voluntatem autem meam magnopere inflamauit quorundam cohortatio, quorum iudicio semper tantum tribui, ut quicquid oneris mihi imponerent, mihi fuscipendum esse crederem. Adhæc accedit quod idem hoc argumentum viri illi clarissimi & omni laude maiores, quos, sicut debedo, honoris causa nomino, Philippus Melanchthon, Iohannes Caluinus, Henricus Bullingerus, Volphgagus Capito, ita copiose & luculenter explicarunt, ut describenda mihi potius quam excogitanda pleraque fuerint: idque à nobis factum tantum abest ut fateri me pudeat, ut contraria in tantorum virorum nomine & auctoritate libenter acquiescam. Deinde vero haec qualiscunq; alacritas mea, cæterorum, quibus ego facile priores concedo, studium & diligitiam minime (ut spero) extinguet aut retardabit, sed accedet & incitat potius, si aduersariorum improbitas hoc postularit. Ego quidem certè hanc causam ita agere constitui,

vt nisi me præposta Bellii methodus coegerit, nihil extra causam à me dicatur: eámque moderationē tenere decreui, vt nemo bonus se à me offendisse, meritò conqueri possit. Nā quod isti summo pere videntur quæsiuisse, nempe vt eum qui defensionem pararet, cum bonis & piis illis viris cōmitterent, ex quibus ipsi farraginis suæ partē descripsे runt, hoc à me summo studio & cautione vitabitur, quū eos ipsos quorū præsidio abutuntur, tueri non oppugnare decreuerim. Ita fiet, opinor, vt illorū audacia & impudēcia detegatur, istorū autem dignitas & auctoritas, ita vt æquū est, sarta tecta cōseruetur.

Ergo vt ad rem tandem accedamus, quum triplex sit nobis quæstio proposita: Primum scilicet, An puniendi sint hæretici: deinde, An hæc punitio ad ciuiles etiam Magistratus pertineat: postremò, An capitali etiā supplicio possit in eos animaduerti: in primis de hæreticis, postea de Magistratu, postremò de quæstione ipsa differemus. Ex quibus primū illud ita est à Bellio & ipsius factione expositum, vt eos satis appareat hoc vnum quæsiuisse vt veritati tenebras offunderent. Alterum verò, quod vel præcipuum erat, penitus est prætermissum. Sed duplex hic onus mihi istius Bellii vel ignorātia vel (quod potius existimo) improbitas imponit. Facit enim ipsius mirifica doctrina vt qui non sint hæretici, antè nobis docendum sit quam hæreticos definire possimus. Bellius itaque vt verum esse confirmaret quod de eo plerique audierunt, Linguarum scilicet & artium cognitionem Christianis alioqui (vt ait) minime necessariā, ipsi quasi dormienti con-

tigisse, postquam quæstionem propositam absoluīt,  
tum demum ad hæretici definitionē accedit : quod  
tamen, inquit, primum omnium sciri cōueniebat.  
Deinde ut omnia inuoluat, docet hæreticorum no-  
men nihilo magis quām auarorum & scurrarum  
infame esse : hīcque nouum argumentum torquet  
de non occidendis hæreticis, quum neque auari, ne-  
que scurræ occidantur. de quo alibi differemus. Po-  
stea conqueritur hæreticū vulgo haberī, qui à nobis  
dissentiat : & monetam quādam nobis aureā cudit  
quæ vbiq[ue] locū habeat, quæcunque sit eius figura.

Credere, inquit, in Deum Patrē, & Filium, & spiritum san-  
ctūm, & pietatis præcepta quæ sunt in Sāctis scripturis approba-  
re, aurea est moneta, & auro ipso probatior & exploratior. Sed ha-  
bet hactenus hæc moneta diuersas imagines, dum homines inter se  
de Cœna, de Baptismo, & cæteris huiusmodi rebus, id est, ut ini-  
tio præfationis ipsum scribere non puduit, de ipsius  
Christi statu & officio, quomodo sit unū cum Patre, item de Trini-  
tate, de prædestinatione, delibero arbitrio, de Deo, de Angelis, de sta-  
tu animarū post hanc uitam, dissentīunt: quæ res (ô blasphemia  
Bellii & impietatem horrendam!) neque ad salutem per  
fidem obtinendam usque adeo cognitu necessariæ sunt, neque co-  
gnoscī possunt antequam cor mundum habeamus, neque si scian-  
tur, hominem reddunt meliorem. Hæc enim est istorum  
theologiæ summa quæ à nobis alio loco planius ex-  
plicabitur. Nunc videamus quomodo non ex vul-  
gi opinione, sed ex Sacris literis doceat quis sit hæ-  
reticus appellādus. Atq[ue] hoc loco Lector, quisquis  
es, mecum obsecro considera quæ sit istius Bellii in  
Scripturis interpretādis vel peritia, vel dexteritas,  
vel fides. Hæreticus, inquit, is est qui rite admonitus non obtem-  
perat. Itāne verò Belli: Certè si ita se res habet, quid

Theologia ad-  
uersariorū sum-  
ma.

Refutatio defi-  
nitionis hæreti-  
ci, quam afferit  
Bellius.

superest nisi vt regiones & ciuitates , quid ciuitates dico : imò familias , imò singulas domos hæreticis plenas esse dicamus? Sed ne calumniari videar , audiamus qua ratione bellam istam definitionem tuā confirmes. *Quia*(inquit) *Paulus ad Titum* scribens iubet ut hæreticum hominem post unam atque alteram admonitionem deuinet. Respondet autem hic locus præcepto Domini quod scriptum extat apud Matthæum, Si peccauerit in te frater tuus. Nam quod Paulus uocat hæreticum, Christus dicit, Si te aut alios non audiuerit: et quod Paulus dicit, Deuita: id Christus dicit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Responde quæso Belli, si os vñlum habes, quid est Scripturas peruertere, si hoc nō est: Optimum quidem modum explicandi Scripturas hunc esse cōfiteor , si ex collatione locorum exponātur, vt sit Spiritus sanctus sui ipsius interpres: sed istius tuæ collationis mysteria quis tandem intel liget: Sic enim colligis : Habere pro ethnico & publicano : idē valet quod Deuitare. Si te aut alios nō audierit : idem pollet quod Repetitæ admonitioni non parere. Ergo & à Christo & à Paulo hæreticus is dicitur qui ritè admonitus non obtemperat. At qui etiā vt tibi gratificemur , & illud quod assumis concedamus, tamen hanc consecutionem nemo sa nus tibi concedet, nisi prius ostenderis vnum esse genus hominū admonēdum: & nisi paruerit, deu itandum.alioqui excipiems de diuersis ista intelli gi posse:vt sanè debent. Nam quis est tam stupidus, præter te vnum, vt non videat apud Matthæum tra di Christiani cuiusuis officium in priuatis offendis, aut certè eiusmodi vt palam non sint manife stæ: Publicas enim palam argui Paulus iubet:& hæc

rationem ipse in Petro redarguendo sequutus est. Idem autem ad Titum scribēs, quum Episcopū instituat, ea certè præscribit quæ ad ministerii publi- ci rationem, non ad priuatum cuiusque officiū per- tinent: sicut ex tota Epistola apparet. Hæc autē esse distinguida quis non videt? Deinde hoc dissimu- lasti, apud Matthæum triplicis admonitionis, eiūs- que diuersæ: apud Paulum autem duplicitis tantum fieri mentionem. Postremò ipsa vocabuli etymo- logia quam postea tradidisti, docere te potuit ac de- buit non omnibus periculacibus hæretici nomen conuenire, sed iis demum qui ab Ecclesia deficiētes, sectam siue factionem peculiarem instituūt. Quod autem huc etiā illud refers, Excutite puluerē pedū vestrorum: sanè magis est ridiculum quām vt à te seriò dici crederē, nisi de re maxime seria discepta- retur. Satis enim constat id in eos dici qui Euange- lium oblatum reiiciunt: quod qua ratione conue- niat iis qui vel in priuata vita aliquid peccant, vel in religionis capitibus quib[us]dam à communi opi- nione dissident, ego satis videre non possum. Certe distinguda hæc esse, ne tu quidem, nisi impudētiſ simē, negare potes. Postremò verò vt contentionē istam absoluas, hæc quoque adiungis: *Quod Paulus di- citem ita peccare ut ipse per seipsum dānetur: id est quod conti- nuo addit Christus, Quæcumque ligaueritis in terra, erunt ligati in celo.* At ego quanuis tibi concedam, meritò à fi- delium confortio hæreticos excludi, idque Ecclesiæ iudicium à Deo ratum haberī, imò etiam pro cri- minis & blasphemiae magnitudine è viuorum nu- mero interdum illos exturbari oportere, nego ta-

Matth 10.b.14

men in eo Pauli loco de hæreticorum agi publica  
exclusione : sed admoneri Titum vt quos repetita  
admonitione ad sanam doctrinam reuocare nō po-  
tuerit, eos postea missos faciat: quia, inquit, eiusmo-  
di homines nosti euersos esse, & peccare, quum per  
seipso sint damnati : quasi diceret, cum eiusmodi  
hominibus nihil profici posse disputando . Frustra  
enim cum eo disceptes qui ad disputādum malam  
consciētiā afferat: & qui conscientiæ suæ iudicio  
nō cedit , quomodo aliorum rationibus superetur?  
Itaque vel ista ostendunt quātopere tibi cæteris in  
rebus sit credendum, qui tam bellè Scripturæ locos  
noueris inter se comparare . Quod si tibi omnino  
faciendum putabas , cur nō potius locum illum ex  
*z. T. 6. 2. 3 4. s.* Epistola ad Timotheum priore deligebas, in quo tā  
copioſe, tāmque luculēter Paulus hæreticū definit?  
Sed timuisti scilicet ne parum ingeniosus videreris  
niſi quidpiā noui, tuo more, attulisses: aut certè cum  
ſtipitibus & fungis tibi negotium fore credidisti.

Refutatio diui-  
ſionis Bellii.

Porrò videam⁹ quāto felicius diuidas quām de-  
finias. Sunt, inquis, hæreticorum ſive pertinacium duo genera.  
Alij enim sunt in morib⁹ pertinacēs: ut anari, ut ſcurrae, ut luxu-  
riofi, ut ebriosi, ut persequutores, ut cæteri qui admoniti non ſe-  
corrigunt. Alij sunt in rebus ſpiritualibus et doctrina pertinacēs:  
et hiſ quidē propriè hæretici nomen conuenit. Eſt enim hæresis  
Græcum uerbum quod ſectam ſive opinionem ſignificat. Vnde qui  
uitiosæ ſectæ aut opinioni tenacius adhærent, hæretici dicuntur.  
Verba tua Belli agnoscis, vt opinor. Quia verò di-  
uisionem tuam exéplis illuſtras, age, hāc etiam par-  
tem conſideremus. Tales erant inquis, de prioribus lo-  
quens, iudæi, ſcribæ, pharisei, et christi conterranei, propter  
quorum duritiam cordis Christus non potuit ibi multa facere mira-

cula. Pro exemplo posteriorum , Hananiam illum  
 proponis, de quo apud Ieremiam agitur. Audi nūc Ierem. 28. 12.  
 si lubet, quām multa in his reprehendam. Primum  
 quum hæc tota diuisio tua eo nitatur quòd quicun-  
 que pertinaces sunt, eos pro hæreticis habes, id autē  
 falsum esse antè docuerimus, euerti hāc tuam diui-  
 sionem necesse est . Sed age tamen, vt tibi gratifice-  
 mur, aliquos etiam in moribus hæreticos tibi nunc  
 quidem concedimus . Quī enim recte vitam insti-  
 tuant, quicunque veræ religionis viam ingredi re-  
 cusant: vt eos meritò Apostoli, tanquam omnibus  
 vitiis obnoxios reprehendant. Hoc tamen perne-  
2. Tim. 3. b. 8.  
 gamus, quicunque in malis moribus sunt pertina-  
 ces, eosdem hæreticos esse: sed eos demū qui quum  
 religionem nostram ore profiteantur, tamen se-  
 se & alios in malis moribus falsa quadam opinio-  
 ne confirmant: quales olim fuerunt ( vt cæteros o-  
 mittam) Carpocratiani, quorum hæresim hoc no-  
 stro seculo Libertini renouarunt, qui turpis & ho-  
 nesti discrimen omne tollunt: item Anabaptistæ, à  
 quibus legitima matrimonia & Magistratus dam-  
 natur, quique parricidia fanaticis suis reuelationi-  
 bus defendunt. Istos, inquam, etiam in moribus hæ-  
 reticos esse concedo: quāuis istam hæreticorum ap-  
 pellationē prauis potius opinionibus quām factis  
 mereantur. Nam si quis ex nostris eadem commit-  
 tat, & tamen se se peccare fateatur, eiusmodi homi-  
 nem non hæreticum, sed sceleratū potius vocabo.  
 Iudæos autem & Turcas, qui nostram religionem  
 nūquam sunt amplexi, non hæreticos, sed infideles  
 appellabo: etiam si alioqui omnibus virtutibus hu-

2. Petri 2. b. 10.

manis excellat. Nam alterum quoque tuæ diuisio-  
nis membrum in eo vitiosum esse dico, quod illo  
comprehendas quicunque vitiosæ opinioni tena-  
cius adhærēt: quum hoc ego præterea in omni hæ-  
reticoru genere requiri dicam, ut cum recepta Ec-  
clesiæ doctrina ciuile bellum gerant. In eo verò pla-  
nè stupor tuus appareret, quod inter eos quos in mo-  
ribus hereticos esse vis; Iudæos, Scribas & Phari-  
seos, & Christi conterraneos recenseas: sicut eorum  
qui in doctrina sunt hæretici, exemplū esse vis Han-  
naniam. Primùm enim, obsecro, ex qua tandem dia-  
lectica orta est eiusmodi partitio, Iudæi, Scribæ,  
Pharisæi: Istiusmodi autem hominum externa cer-  
te vita, maxima ex parte laudabilis erat, vt ex tota  
Euangelii historia appareret. Neque enim vt apertè  
scelerati, sed partim vt hypocritæ reprehenduntur,  
partim etiam quod suis cōmentis verum Dei cul-  
tum obscurarēt. Quamobrē quin dixisset Domi-  
nus, Quæ dicūt facite, secundum opera eorum no-  
lite facere: paulò pōst declarat quid in eoru operi-  
bus reprehenderet, nempe quod pietatē simularēt.  
Quare hypocritas potius quam hæreticos vocare  
debuisti, nisi doctrinam eorum respiciebas, quā ve-  
rè possumus hæresim appellare. Quod autem addis  
Christum idcirco eos deuitasse, dum dixit, Ecce re-  
linquetur domus vestra deserta: magnam etiam re-  
prehensionem meretur. Quum enim hoc pertineat  
ad eam Hierosolymorum euersionem qua Domi-  
nus sui contemptum iure vindicauit, ecquis non vi-  
det hunc locum à te detorqueri? De Christi autem  
conterraneis quid dicam: Hi Christi doctrinam re-

Matth. 23. a. 3.

Matth. 23. d. 38.

Matth. 13. g. 58.

pudiabant, idéoque virtutes apud eos paucas edidit Dominus propter incredulitatem eorum. Tu verò non modò sceleratos, hypocritas, incredulos cum hæreticis confundis, sed opiniones etiā cum moribus, vt hæc omnia parū sobrius scripsisse videaris. Nam de Hanania, quem tu vis in doctrina hæreticū fuisse, hoc scripsit Ieremias, quum ipse ex mandato Domini imminentē calamitatē annuntiaret, Ierem. 28 a. 7. Hana niam contraria omnia futura prædixisse. Quam obrem illi paulò pòst Ieremias ex mandato Domini nūtiauit fore vt quia recessum à Domino loquutus esset, intra eum annū moreretur. Tu igitur, quia hīc fit recessus mentio, statim hæreticum illum, idque in doctrina, pronūtias. At ego, si hoc factū spe ctes in quo non de ipsa religione, sed de re quadam futura vel non futura disceptatur, pro scelerato potius aut mendace quām pro hæretico habendum dicō: sin autem hoc potius cōsideras quòd populum in diuersam factionem distraheret, schismaticū tamen nō hæreticum appellabo, nisi diuersæ religiōnis doctorē eum fuisse probes. Et hæc quidem tua sunt, Belli, commenta, ex quibus tātum abest ut qui sint pro hæreticis ex Scriptura iudicandi, & quot sint eorum genera percipere potuerim: vt cōtrà nō possim impudentiam tuam satis admirari, qui quū id ipsum de quo quæritur vel penitus ignores, vel scire te dissimules, tamen Magistratus officium ita superciliosè definias, vt falsæ clemētiæ & humanitatis specie opposita, tot fideles Ecclesiæ, tot Christianos principes, tot pios & eruditos verbi Dei ministros minimè te pudeat ut carnifex & persequi

tores accusare. Quæ res quim ita se habeat, tēque  
cōstet sub ista placidi & minimè ambitiosi ingenii  
larua inauditam quandam superbiam cum pari im-  
probitate & impudentia coniunctam fouere,mini-  
mè mihi certè metuendū putaui ne oratio mea vel  
acerbior quām rei magnitudo postulet, vel acrior  
quām Christiana charitas flagitet, æquis iudicibus  
videretur. Sed age, nos etiā qui sint hæretici, & quot  
sint eorū genera quaeramus. Homines igitur in duas  
veluti species distinguemus. Vna eorum est qui ve-  
ram & vnicam, id est Christianam religionem pa-  
lām repudiant, sūntque ab Ecclesia prorsus alieni,  
quos peculiari nomine Infideles vocamus: quales  
sunt in quibusdam regionibus Idololatræ, Turcæ,  
Iudæi, & siqui sunt alii qui ne nomine quidem se  
Christianos profiteātur. Nam de Idololatriis Ephe-  
siis hoc apertè testatur Apostolus. Eratis, inquit,  
Deo carentes in mundo. Quod quomodo intelli-  
gēdum sit, paulò antè explicarat, quum eos absque  
Christo, siue separatos à Christo fuisse diceret. Quā  
regulam si sequamur, (vt sanè sequi debemus) reie-  
cto illo Bellii adulterino nummo, & Turcas & Iu-  
dæos nihilo min⁹ quām Ephesios idololatras inter-  
infideles siue adhuc recēsebimus. Quisquis enim Filiū  
negat, inquit Iohánes, is ne Patrem quidem habet.  
Filiū autem negat, qui Christum pro æterno Dei  
Filio qui in carne venit ut per eum vnum seruare-  
mur, non agnoscit. Quamobrē Dominus de Iudæis  
disertè loquēs, Si Mosi credidis letis, inquit, credidis  
letis & mihi. Altera species eorū est qui Christianā  
fidē amplexi, regni Dei ciues se esse profitentur. Iā

**Qui** **sint** **hæreti-**  
**ci.**

**Infideles.**

**Ephes. 2.c.12.**

**Iohan. 2.d.23.**

**Iohan. 5.f.46.**

Verò quia prædixit Dominus, quod euentus postea cōfirmauit, regnū Dei simile esse verriculo in mare proiecto, quod ex omni piscium genere colligit: ap paret non vnum esse ciuiū huius regni genus. Nā (vt verè fideles excipiam, qui sunt numero paucissimi, id est qui Christianæ doctrinæ solidam syncretamque cognitionem habent, sēque totos Christo consecrarunt,) nonnulli, quanuis Christiani vide ri velint, tamē Christianam vitam aut simulatē tātum sectātur, Iudam illum proditorem imitantes: aut ita vitam instituunt, vt non Spiritum Dei, sed diaboli in ipsis regnare, tota ipsorum vita testetur. Eos Augustinus malos Catholicos appellat: Scriptura verò hypocritas, immorigeros, carnis filios, perfidos, atque adeò etiam infideles. Nam vt ait Io hannes, Qui dicit, Noui eum: & præcepta eius non seruat, mēdax est, & veritas nō est in eo. Rursus non desunt qui & doctrinā approbent, & alioqui inculpatē viuant, sed tamen offensione aliqua animorū, aut leuitate, aut aliorum calumniis impulsī, dissidia faciunt in Ecclesia: sicut olim apud Corinthios alii Cepham, alii Paulum, alii Apollo iactabant. Ii quū discipulos naðti sunt, schismata gignūt in Ecclesia, quæ tandem in hæreses degenerant: quū iam ab alienatis animis huc eos impellit Satan, vt præpostero quorundam odio vel amore, in personis ipsis hærentes, non modò alios aliis anteferant, sed paulatim etiam homines ipsos odisse, & quæcunq; ab eis dicuntur aut fiunt, sine iudicio improbare incipient. Ea causa est cur Augustinus alicubi hæresin esse dixerit inueteratum schisma: quum tamen

Fideles.

Hypocritæ.

1.Iohann.2.2.4.

Schismatici.

Libro ad Cresce niūm secundo.

b.i.

schisma propriè sit eadem sentientium separatio: quam Cresconii definitionem ne Augustinus quidem ipse magnopere reprehendit: sicut alibi explicabimus. Postremò nonnulli non tam in moribus quām in doctrina ab Orthodoxis dissentiūt, idque interdum vel ingenii infirmitate, vel negligentia, vel consuetudine quadam errandi inueterata, & per manus accepta: aut denique quorūdam fraude, qui nondum satis in veritate confirmatos animos infescant: interdum perfidia & improbitate, quum trāſuersos nos rapit odium Dei, auaritia, ambitio, libido, cæteræque eiusmodi cupiditates quæ Spiritum Dei expellat. Quòd si diuersitatem eorū qui in doctrina ab Orthodoxis dissidēt cōtrahere vellemus, eāmque gradatim ad pauciores, postremò deducere ad singulos, infinitas quædam errorum nascetur. Sed neque hoc nobis propositum est, neque fortassis etiam præstari potest: adeò in his malis gignē dis fœcūdum ac ferax est humanum ingenium. Licet tamen nobis hos omnes tertii generis adulterinos Christianos in duo rursus genera partiri. Nam alii doceri se patiuntur: & quanuis non statim deduci possint de sententia, tamen adeò sibi non placent ut in Ecclesia turbas vllas excitent. Alii inuidia pertinacia & improbitate, quia sunt (vt Paulus vocat) *ανταρτικοί*, nō modò veritati resistunt, sed etiam Ecclesiæ pacem & concordiā lacerant. Vtrosque solet Scriptura errantes dicere: sed illos pecuniariter vocat infirmos in fide: iubētq; tantisper tolerari dum illis Dominus ea quæ ignorant reuelauerit. Iстos verò Paulus ad Titum scribens, hæreti-

Errantes infide.

2. Pet. 2. a. 1.

Galat. 5. c. 19.

Infirmi.

Roma. 14. & 15.  
Philip. 3.

Ad Tit. 3. c. 10.

cos appellat, & post vñā atque alteram admonitionem, etiam ab Episcopo deuitandos censet. De his autem quum nunc à nobis potissimum quæratur, eos à cæteris accuratè & diligenter distinguemus.

Hæreticos igitur si quis infideles, ignorantes, apostatas, aberrantes à veritate, præfractos vocauerit, titulis quidem veris illos ornauerit, sed quos habent cū aliis multis cōmunes, in quibus vel religio, vel vita, vel vtrunque meritò reprehenditur. Hæc est verò propria & peculiaris nota qua à cæteris distinguuntur: quod suæ perfidiæ (quā præfractè tinentur) quasi ludum aperiūt, & diuersæ doctrinæ factiōnē, quantum in se est, vel in Ecclesiam Dei inuehunt, vel ab aliis inuectam fouēt. Nam alioqui, si animorum non opinionum dissensio fuerit, schismaticos eiusmodi homines, non hæreticos dices: quāquam quicunque sunt hæretici, idem etiam schismatici, id est cōcordiæ & cōfessionis Ecclesiasticæ dissipatores sunt. Hæc autem distinguuntur priore ad Corinthios Epistola, & ita quidē, vt hæresis pro grauiore crimine habeatur. Sic enim ego quoq; locū illū interpretor, vbi ita scribit Apostolus: Audio, inquit, schismata inter vos esse, & aliqua ex parte credo: oportet enim & sectas inter vos esse. quasi diceret Apostolus, facile se credere eos non eadem esse animi voluntate, quum etiam grauiori malo Ecclesiæ Dei sint obnoxiae, nempe opinionum dissensioni, quā hæresim appellat. Alibi quoque ἀχοσασιας, id est dissidia ab hæresib⁹ apertè distinguit: vt ἀχοσασια idē prorsus valeat quod χιουα: nisi illud addas quod alio loco Apostolus adiunxit, hæreticos quidem nomi-

Hæretici.

1.Corin.ii.4.18.

b.ii.

Galat.5.12.2.

Rom. 16.c.17.

natum non appellans, sed planè definiens. Quum enim fratres admonuisset ut eos obseruarent qui disidia & scandala faciunt, illud etiam adiungit, Contra eam doctrinam quam didicistis. Hæc igitur duo quum inciderint, hæresis erit ex hac Apostoli definitione, qua nullā meliorem querere debemus. Nā & alibi iisdem prorsus notis depingit, sicut Epistola ad Timotheū priore: Siquis, ait, ἐπροδιδασκαλεῖ, id est diuersa docet, neq; acquiescit sanis sermonibus. Vides, Belli, præter pertinaciam, eāmque propriè non in moribus, sed in doctrina, etiam ἐπροδιδασκαλία requiri: Idem Epistola ad eundem posteriore, de Phileto & Hymenæo hæreticis loquēs, non tantūm circa veritatem aberrasse dicit, sed etiam quorundam fidem subuertere. Quamobrem paulò antè eorū orationem gāgrenæ comparauit. Nam alioqui aberrare humanum est: Ecclesiam autem post iustam atque repetitam admonitionem scindere, eorum demum est quos Apostolus in eadē Epistola πλανάντες καὶ πλανωμένες appellat, id est errantes, & alios in errorē inducētes. Petrus quoque hæreticos designās, animas instabiles dicit ab ipsis inescari: & plenā eorum definitionem tradit cum Paulina prorsus consentientem: Inter nos, inquit, erūt falsi doctores qui clām inducent hæreses siue sectas exitiales. Ex quibus verbis ut rem omnem in pauca cōferamus, sic nobis constituere licebit: Hæreticum eum esse qui pietatem quidem prætexit, sed tamen non modò satis Ecclesiæ sermonibus semel atque iterum admonitus nō acquiescit, verum etiam falsa proposita doctrina, Ecclesiæ pacem ac cōfessionem dirimit. Id-

1. Tim. 6.c.3.

2. Timot. 2.c.18.

2. Tim. 3.d.17.

2. Pet. 2.a.n.

que ipsa verbi notatio declarat. Hæresis enim Græcum est vocabulum, quod initio quidē laudis erat, adeò ut illud Paulus alicubi non inficietur: sed tamen consuetudine loquèdi in vitio poni cœpit, pro vitioso dogmate aut factione quam aliquis contemptu Ecclesiæ Dei iudicio sibi sequendam delegerit.

Acto. 24. c. 14.

1. Corin. 11. d. 13.

Cæterum quia non vnum est hæretorum genus, quomodo distingui possint consideremus. Id vero haud scio an satis commodè à quoquam nedum à nobis præstari possit, quum antiquo illi aduersario nostro infinitæ sint nocendi artes, & fœcundissimum in omnes gignendos errores ingeniu. Quā obrem minime conabimur varias hæreses in species ex sui natura & indole æstimare. Tantum dico, quanuis non possit non esse grauissimum hæreseos crimen, quosdam tamen illius gradus ex circunstantiis constitui posse. Grauius enim peccat qui hæresis vel nouæ vel interpolata dux est & auctor, quam qui aliorum fraude in aliquā hæresin est impulsus: & quo diuturnior fuit peruvicacia, tanto atrocius est crimen. Item qui scriptis libris hæresin passim diuulgauit, grauiore criminе tenetur quam qui verbis tantum vnum & alterum docuit. Deinde vero si rei ipsius naturam spectemus, quanuis in Christianæ religionis ædificio quælibet nō modò sint utilia, sed etiā necessaria, ut omnibus suis partibus strutura constet, quædam sunt tamen eiusmodi ut etiam si substrahas, ædificium non corruat. Itaque pro rei de qua disceptatur conditione criminis est æstimatio ineunda. Sed illud quoque diligenter pro spicere oportet, ut nō id duntaxat consideremus in

Quotuplices hæretici.

quo propriè erratur, sed etiam quicquid ex eo cōse-  
quitur. Est enim quædam inter se causarū perpetua  
connexio, quam si quis accuratè expendat, s̄epe cō-  
periet id quod alioqui leue aut tolerabile videri po-  
terat, tanti esse momēti vt nisi mature occurratur,  
totius religionis ruinam secum trahat. Quod qui  
non considerarunt, s̄epenumero, quanuis alioqui  
boni & pii homines essent, aut ipsi in periculosos er-  
rores per imprudentiam lapsi sunt, aut nimia qua-  
dam naturæ lenitate ad maximos errores aditum  
patefecerunt. Sed hæc & plæraque alia quum sint  
eiusmodi vt in vna & perpetua regula comprehen-  
di non possint, pro re nata spectari debent.

Sed agè, ad Magistratus definitionem ac diuisionem accedamus. Ad hæc verò cōstituenda, vnde po-  
tius initium dicendi faciam quām à præcipuo illo  
fine ad quem respicere Magistratū oportet qui re-  
tē munere suo defungi cōstituerit? Quum ergo o-  
mnia concilia, cōtūisque hominū iure sociati, quas  
ciuitates vocamus, hunc vltimum finem spectet, vt  
quām felicissime viuant: vt autem ad eum finem  
perueniatur, certas léges perferri necesse sit, & earū  
legum aliquos custodes ac vindices constitui, quos  
generali vocabulo Græci ἀρχας, Latini Magistratus  
appellant: satis constat, ni fallor, eum esse Magistra-  
tum qui ex ciuium consensu publicæ illius pacis ac  
tranquillitatis custos est declaratus: quæ quidē pax  
à legum obseruatione pendet, in quibus totius ciui-  
tatis salus consistit. Sed hoc quoque deinceps consi-  
deremus, an felicitas illa ciuitatis, ad quam veluti  
scopum respicit Magistratus, in iis duntaxat versę

Magistratus ori-  
go, definitio &  
officium, ex phi-  
losophorum li-  
bris.

cur quæ ad publicam viuendi rationem spectant, an  
 verò etiam in iis quæ ad priuatū cuiusque officiū  
 pertinent. Quum igitur hoc esse constet Magistratū  
 propositum, ut Republicam suam quam optimā  
 efficiat: (eadē enim, opinor, felicissima est quæ  
 & optima,) optima sit verò illa in qua plurimi sunt  
 boni ciues: cuius autē bonus esse vix quisquam pos-  
 sit qui non idem sit vir bonus: aut ut esse possit ali-  
 quis, nemo tamen dubitet quin siqui sunt priuatim  
 & publicè boni, meritò sint illis anteponendi qui  
 quum alioqui mali viri sint, tamen boni ciues exi-  
 stunt. Quum hæc, inquam, ita se habeant, sic consti-  
 tuo, hanc vel præcipuam Magistratus curam esse o-  
 portere, ut quoad eius fieri poterit, omnes, non tan-  
 tum bonos ciues, sed etiā bonos viros habeat. Rur-  
 sum autem quia is demum vir bonus est qui officiū  
 suum facit: quod quidem (ut profanis etiam Philo-  
 sophis placet) duabus potissimū in rebus versatur:  
 in Dei cultu scilicet, & hominibus adiuuandis, ne-  
 mo nō videt Magistratui prouidendum esse ut hæc  
 omnia in Republica recte & ordine obseruentur.  
 Quamobrem quanuis iuuentutis educatio, & singu-  
 larum familiarū recta & honesta gubernatio ad pa-  
 rentes & patres familiās propriæ pertineat, Magistra-  
 tus tamen officium est efficere ut quisque munus si-  
 bi iniūctum præstet, quatenus quidem Reipublicæ  
 interest, non modò nequis re sua (ut loquuntur Iu-  
 risconsulti) sed etiam ut ne seipso quidem male  
 tatur. Multò minus autem dubitari potest quin reli-  
 gionis ac pietatis cura vel præcipue ad Magistratū  
 pertineat: quia nisi sancte & integrè obseruetur, fieri  
 b. iv.

non potest quin iræ Dei, ac proinde omni calamita-  
tum generi Respublica obiiciatur: in quo nobiscū  
ipsi quoque philosophi faciūt. Ergo nisi fallor, Ma-  
gistratum expressius definierimus, si eum esse dica-  
mus qui in Republica constitutus est ad omniū re-  
rum tum publicarum, tum priuatarum, tum sacra-  
rum, tum profanarum *& cxiæ* conseruandam, vt ci-  
ues eius Reipublicæ cui præfectus est quam optimè  
& felicissimè viuant. Sed quia hæc à nobis philoso-  
phicè potius quām Christianè sunt disputata, eadē  
illa videndum est quomodo ad nostram, id est Chri-  
stianæ Ecclesiæ rationem transferamus. Dico igi-  
tur idcirco conditum esse mundum, vt in eo collo-  
cati homines Dei opificis gloriæ ac maiestati pro-  
se quisque inseruirent. Quamobrem quicunque in  
describendis officiis felicitatem hominis pro vlti-  
mo fine proposuerunt, eos necesse fuit à scopo aber-  
rare. Deum enim propter seipsum ab omnibus co-  
lendum esse dicimus, atque ad eius laudem & gloriæ  
priuata & publica omnia officia referēda. Est enim  
mundus iste vnius vrbis instar, Oceano veluti mœ-  
nibus circundatæ, in qua omnes homines oportuit  
ciuitatem vnam efficere, quæ Dei laudes prædicar-  
et. Sed iam inde à Caino & Abele (vt docet Au-  
gustinus) homines Satanæ blanditiis illecti in duas  
ciuitates diuisi sunt, eásque inter se ex diametro op-  
positas. Vna enim sua vnius commoda quærerit, suá-  
que prudentia nititur: Deum vel penitus asperna-  
tur, vel cum ex ingenio suo mētita, commētitio cul-  
tu colit: idque vel prorsus simulate, vt ii faciunt qui  
religionem vulgi tantum causa excogitatam esse pu-

Eadem ex Sa-  
cris libris.

Proverb. 16. a. 4.

Duae ciuitates:  
vna Dei, altera  
diaboli.

tant: vel si qui sunt inter eos non vsque adeo amen-  
 tes & insani, idcirco tantum ut eum à quo sibi me-  
 tuunt, vel à quo maximum aliquod bonum expe-  
 ctant, sibi placatum ac propitium habeant. Homi-  
 nescertè insani, qui sibi persuadere possint Deū in  
 deligendis ac probandis amicis magis quām ipsos  
 homines cæcutire. Altera verò ciuitas tota Con-  
 ditori suo est addicta, adeò ut nihil nisi ex eius voce  
 & imperio sibi faciendum putet, suaque tum publi-  
 ca tum priuata studia ad illius gloriam ac laudem  
 amplificādam accommodet. Ac de illa quidem dis-  
 serere nō proposui: de ista verò paulò copiosius di-  
 cemus, vt non modò præcipui Magistratus officiū,  
 sed etiam singularum eius ciuitatis partium mu-  
 nus intelligamus. Est igitur in orbe vniuerso vna De ciuitate Dei  
 tantum Ecclesia, ceu ciuitas quædā Christiana, quæ  
 ex ciuium societatibus pluribus constat. Neque ve-  
 rò hoc loco societas appello diuersos ciuium or-  
 dines, vt Romæ, in vna ciuitate erant Senatores, E-  
 quites, plebeii: (quanquā etiam ciuium gradus ac di-  
 scrimina in Ecclesia agnoscamus) sed hoc dicimus,  
 quia fieri non potuit ut omnes Ecclesiæ ciues eodē  
 loco habitarent, ideo in diuersos cœtus esse distin-  
 ctos, quorum singuli præter ius illud ciuile quod  
 toti ciuitati commune est, ius etiam quoddam mu-  
 nicipale haberent. Ius ciuile hoc quidem loco voca-  
 mus in primis verbum Dei scriptum, cui ex æquo  
 omnes Republicæ Christianæ siue Ecclesiæ socie-  
 tates parēt: deinde idipsum quod Iurisconsulti vo-  
 cant ius gétium, id est leges quasdam ex communi-  
 bus notitiis ortas, quibus humani etiam generis so-

Ius duplex ciu-  
tatis Dei, id est  
Ecclesiæ.

cietates omnes continentur. Ius autem municipale, partim ceremonias ad externam religionis politiam pertinentes, quas pro locorum, temporum & personarum ratione variari necesse est: partim autem peculiares singularū ciuitatum leges ad ciuilē vitam & mutua hominū inter se cōmercia spectantes, ut vtrūque hoc ius tum ciuale tum municipale partim Diuinū sit, id est ad Dei cultum & conscientiam spectans: partim ad humana negotia & externam vitā pertinens. Cæterūm quia his legibus primūm omnium assentiri ciues oportet: quod facere non possunt nisi prius quænam illæ sint intelligat. Vnum autem opus ( ut rectè dixit quidam ) ab uno optimè perficitur. Idcirco Domin⁹ ac Deus noster qui hanc Ecclesiam condidit, primūm omnium iuris illius ciuilis ad conscientiam pertinentis & à se constituti certos interpretes voluit ritè constituī, quorum munus esset in singulis cœtibus conscientias ciuum partim voce, exéplo, & oratione ad eas leges cognoscēdas ac probandas adducere: partim etiam doctrina & coercionibus quibusdam, quarū ipse formulā cōstituit, ex Senatus Ecclesiastici sententia in officio continere. Deinde verò quum frustra leges scriptas esse sciret, nisi aliqui essent earum custodes ac vindices, idē Deus Optimus, Maximus voluit in singulis hominum cœtibus Magistratus veluti imaginē quandam summæ ac supremæ suæ potestatis apparere: de quibus loquens, Ego dixi, inquit, dii estis. Quidni enim quasi alterum Deum esse dicas eum cui non tantūm propter iram, sed etiam propter conscientiam subiectos esse oportet quicū

Ecclesiastica iurisdictio.

Ciuilis iurisdictio.

Psalmo 82. b. 6.

que in aliqua Republica homines degunt, quique à Deo vitæ ac necis potestatē accepit? Sed hīc quoque adhibenda distinctio est, vt quibus finibus circūscribenda sit Magistratus potestas, intelligamus. Quanuis enim summa sit in terris, minime tamen est infinita: neque quum hoc illi ius diuinitus traderetur, id est idcirco factum, quasi Deus terrarum imperio & administratione cederet, imò verò potius vt ipse, cuius splēdorem ac maiestatem homines ferre non possunt, in hominum persona inter nos regnaret. Itaque quum veluti duplex sit hominis vita: vna exterior & ciuilis tota: altera interior & conscientiam respiciens, ducē quidem vtriusque & gubernatorem esse Deum oportet. Verùm quod ad illam partē atinet, Deus partim prioris illius lucis reliquias in hominum animis superesse voluit, quæ ipsis ad hāc vitam tranquillè transigendam prælucerent: partim verò nequis totum hoc munus cōmuni hominum naturæ acceptum referret, peculiaribus quibusdam donis eos ornare cōsueuit, quibus tanquā instrumentis ad cæteros regendos vti constituit. Istorū igitur munus est politicas leges condere, id est ad vitam externam pertinentes: ea tamen adhibita moderatione vt nihil constituat quod iuri illi ciuili diuino, cuius in tota Ecclesia præcipuæ partes sunt, aduersetur. nam alioqui tyrannus est, atque potestate à Deo sibi cōcessa abutitur. Sed in iis quæ ad cultum Dei spectant, atque mutuam inter se hominum charitatem, nō tam latè patet Magistratuū facultas, cuiuscunque tandem gradus illi sint. Condendarum enim conscientiæ legum potestatē Deus

Leges humanae.

Lex divina.

nulli hominum fecit: neque ferre potest quenquam hominum animis præter se vnum dominari . Aio igitur leges Diuinæ (sive ius illud ciuile ac merè Diuinū) primùm antiquis illis Patribus voce & oraculis minimè ambiguis traditas, deinde certorum hominū opera, idque Dei iussu, in utriusque Testameti tabulis descriptas, illud ius esse ex cuius præscripto unus ille Legislator noster mundū vniuersum iudicabit. Deinde hoc assero, nullas prorsus alias leges hominum animis esse imponendas, neque quenquam vel quicquam illis adiicere, vel detrahere (nisi quatenus aut sunt politicæ, aut ceremoniales, haec tenus enim vni tantum genti idq; ad tempus præscriptæ fuerunt ) sine sacrilegio & profana audacia posse. Fateor tamen Deū sicut in scribendis, sic etiā in explicandis illis legibus, & usui hominum accommodandis, atque adeò in vindicāda ipsarum auctoritate ac dignitate, hominum ministerio iam inde ab initio vti cōsueuisse: sed ita distinctis istis munib; vt duo illa priora ad eos pertinerent quos peculiariter huic muneri à Deo præfētos esse paulò antè ostendimus. Istud autē tertium Magistratibus committeretur, qui scilicet tam ipsius verbi Ministros, quam cæteros pios homines idoneis præsidiis tueantur: qui doctrinam verbi fideliter exponendā, expositā autem à suis omnibus obseruandā current: qui externas ceremonias pro temporū & locorum ratione ex Ecclesiæ concilio constitutas, auctoritate sua confirmēt: qui denique malos ciues disciplinæ Ecclesiasticæ repugnantes, & perturbantes Ecclesiæ concordiam ac pacem, pro criminis magnitudine

coērceant. Ergo ut rem omnem in pauca conferamus. In singulis Ecclesiæ Christianæ cōtibus siue Rebus publicis, cōstituti sunt Magistratus vt Dei vi carii, qui cāteris fidei suā commissis præeāt ad Dei gloriam ac laudem prædicandam. Id autem vt præstent, curare præcipuē debēt vt quācunque ad Dei cultum pertinent ex vno ipsius verbo sancte & reli giosē non modō constituantur, sed etiam custodiātur: deinde ciuiles leges quām æquissimas & iustissimas, id est à Dēi verbo non dissidentes, vel ipsi condere, vel ab aliis positas tueri, & ex iis publica priuataque administrare. Sed in priore illa iurisdictionis parte Ecclesiasticū munus à Magistratus auctoritate diligenter distingui oportet: vt Principes intelligāt, sicut in iis quā ad externam politiam spectat suos omnes ( nullo prorsus excepto ) suā potestati subiectos ac obnoxios habent, ita etiam se se, quod ad spiritualem iurisdictionē attinet, verbo Dei duplī ratione teneri. Primū vt ipsi quoque ex eius præscripto vitam instituant, deinde vt quoties id flagitat publica Ecclesiæ tranquillitas, & verbum ipsum, & eius interpres, disciplināmque totam Ecclesiasticam, aduersus infidelium, flagitiosorum, hæreticorum, omnium denique hostium audaciam & improbitatem, modis omnibus tueantur.

Hæc ita se habere vt dico, supereſt vt idoneis Scripturæ testimoniis confirmemus. Quod igitur ad politiam ciuilem attinet, quum hæc pars ad quæſtionem propositam non pertineat, in ea confirmando minime laborabimus. In causa vero religionis, quia nonnulli negant politico Magi-

stratui ius vllum esse à Deo concessum, duos tantū Pauli locos proferam, ex quibus constet multò latius patrē Magistratus imperium quām isti putēt: deinde quæstionem ipsam aggrediemur. Testatur ergo Paulus Magistratū esse Dei ministrū, qui gladiū gerat ad eos vlciscédos qui malè agunt. Quam obrem alterutrum necesse est si in hæreticos Magistratus ius nullum habet, vel ipsos malè non agere: (quod etiā si Bellii factio neget, refutatione tamen indigere nō puto,) vel quod in genere Paulus aīt, ad certum maleficiorum genus esse reuocandum: eorum scilicet quæ corporalia peccata vocant, id est (vt ego quidē existimo) quæ si quis admiserit, etiā si non sit vir bonus, tamen bonus ciuis esse non definat. Ego verò de hoc peccatorum discrimine copiosius (vt spero) postea suo loco differam. Nunc autem ad refutandam hanc exceptionem Paulum adhibebo. Is in Epistola ad Timotheum priore, Hortor, inquit, vt preces fiat pro Regibus, & omnibus qui sunt in eminentia, vt placidam ac quietā vitam trāsigamus cum omni pietate & honestate. Hic dissentē audimus constitutos Magistratus vt pacatos ciues suos non modò in moribus grauibus & honestis, id est in his quæ ad mutua hominum inter se officia pertinent, sed etiā in pietate & Dei cultu continēt. Ex quo colligo cum doctissimo illo D. Philippo Melächthonē, Magistratus non secundæ dunt taxat Tabulæ, verum etiam, idque in primis, puræ religionis, quod ad externam disciplinam attinet, & custodes & vindices à Deo esse constitutos. Externā disciplinā dico. nam quoad doctrinæ ipsius

Rom. 14.2.4.

1. Tim. 2.2.2.

Mel. in libello  
De officio Prin-  
cipum.

explicationem, totamque iurisdictionem Ecclesiasticam, tantum abest ut Ecclesiæ creptam ad politicum Magistratum transferamus, ut cōtrà ipsius in primis tuendæ & conseruadæ curam Magistratui à Deo impositam esse affirmemus.

Quod quā ita sit, facile iam esse puto de illa quæstionis parte iudicare, an verum sit quod indefinite & generaliter affirmat Bellius, Hæretorum punitionem ad Magistratum non pertinere. Sed ne rationes yllas cōqueri possit à nobis præteritas, constitui primūm ipsorum argumenta non confusè & perturbatè, sed ordine & sigillatim ad singulas propositæ quæstionis partes accommodata confutare, deinde tandem eodem ordine opinionem nostram confirmare. Neque verò isti à me impetrarūt, quod tamen sperarūt fore, vt cum iis scilicet contentiōnem suscipiam quorū auctoritate abusi sunt, vt sim pliorum oculos perstringerēt. Dico potius, Belli, à te tot clarissimos & sanctissimos Magistratus, tot pietate & doctrina insignes verbi Dei Ministros vt crudeles, vt sanguinos, vt immanes impudenter accusari. Quod quum fieri nō possit sine grauissima eorum iniuria sub quorum nomine tanquam sub Aiacis clypeo delitescīs, quum eorum rationes expēdo, vt vera & cōmoda interpretatione mollio, tantū abest vt eos quibus lögē plus certè tribuo quam tu facias, aut contemnam aut reprehendam, vt eorum potius famam & existimationem callidè à te violatam tuear ac defendam. Quanquam, Belli, si hanc quoque scribendi rationem inirem vt apertè quidem sed modestè, & prolatis ex verbo Dei veris

Refutatio argumentorum qui  
bus probare co-  
nantur aduersarii  
i puniēdos nō  
esse hæreticos.

ac solidis argumentis, ostéderém me ab illis dissentire: deinde duorū aut trium auctoritati multò plures opponerem, an putas eos ipsos cum quibus committere nos conaris, hoc meum factum reprehensos: ac non potius, pro modestia & pietate singulari sua, veritati cessuros? Sed ad rem veniamus.

Martinus Lutherus.

Tu igitur in prima statim acie Dominum Lutherum fortissimum illum Heroē nobis opponis: qui si viueret, Deus bone quomodo vos Academicos exciperet, qui Turcas etiam & Iudæos in Deum credere dictitatis, quique ex Scripturis controuerfias de religione de cidi nō posse censem. Et vos nō pudet eum nominare, & eius auctoritati simulare plurimum à vobis tribui, à quo in ipso Christianæ religionis fundamento aperte dissentitis? Sed enim dices fortasse, Belli, Vt in quibusdam ab eo dissentia, in hoc tamē de quo agitur, ille mecum facit. Quid si igitur à te peterem vt non id quidem quod tu tibi arrogas, sed multò minus quippiam mihi concederes? Tibi enim licere vis in præcipuo nostræ religionis capite non à Luthero tantum, sed ab vnuerfa Ecclesia citra hærefoes crimen dissidere. Nos vero peteremus vt in constituendis hæreticorum poenis ab uno & altero modestè citra temeritatis nota liceret non tam in re ipsa quam in ferendo iudice, neque in poena, sed in poenæ modo dissentire. Lutherum enim constat paulò ante hunc librum editum ex quo nonnulla collegisti, Nouum testamentum in Germanicam linguā couertisse: quod quū Georgius ille Saxoniae Dux, & alii præterea Principes aliquot legi prohibuissent, Lutherus facti indi-

gnitate commotus cum libellum scripsit, in quo ostendit tum à secularibus, quos vocant, Magistratis, tum à tyrannicis pseudopiscopis grauiter in causa religionis peccari solere. neutros enim ius habere condendarū conscientiæ legū. Itaque & illos perperā facere quòd (vt ipse inquit) fidem & verbū Dei castigare vellent, minisque adhibitis suos adgere ut pro aliorum arbitrio hoc vel illud crederent. Istos verò non minus quàm illos tyranicè regnare in Ecclesia: vt qui non verbo Dei hæreses se carerent, & exurerent, sed nuda & aperta vi veritatē Dei oppugnarent. Hanc esse opinionū Lutheri summā, hæcque adeò ipsius verba totus libellus declarat. ne que verò nos aliter censemus. Neq; enim quū hæreticos à Magistratu puniri debere censemus, Lutero aduersamur: quia nec Ecclesiæ ius suū eripimus, cuius placidam & moderatam cognitionem ac disciplinam præire volumus, neque iurisdictiones confundimus, neq; temporum, locorum, personarum tollimus discriminem. Verùm Magistratus officium esse dicimus, non vt ad finem cogat (quod ne Ministri quidem verbi possunt efficere) sed vt prouideat ne perfidi & desperati apostatae pacē Ecclesiæ conturbent, & pietatis consensum lacerent: deinde etiā vt horrendas blasphemias puniat. Nam vt non sit punienda animi opinio (vt rectè dixit quidā) neutriqua tamen ferenda est pestilens & impia professio.

Ad alterum venio, cuius sententiam de Anabaptistis non occidendis non modò descripsisti, sed etiam multis locis inculcas. Eum autem ego, qui Dei gratia adhuc est superstes, & magis piū esse no-

Johannes Bren-  
tius.

ui quām vt tuæ factio[n]i assentiri possit, & modeſtior[em] esse non dubito quām vt suam de puniēdis Anabaptistis opinionem tot Ecclesiarum conſenſui, ita vt facis, opponat. Neque tu à me impetrabis vt ego cum eo cōmittar, in quo plurimas excellentes Dei dotes meritò suspicio & amplector. Ipsu[m] certè apparet de ea tantum hæresi agere quæ ita est nuda vt in nullum opus malum & perniciosum eruim[pt], neque religionem conuellat, quæ denique erroris potius quām hæreſeos nomē meretur: idq[ue] ita esse vel ex postremo eius libro colligere potueras, in quo ſic ſcribit ad verbū: *Magistratus* (inquit) *gnauiter dent operam ut pacatè et honestè* (ego autem etiam addo ex Paulo ut piè) *concordes omnes uiuant.* Nam qui aduersus communem tranquillitatē et *Magistratum* peccauerit, ſive baptizator ſive rebaptizator fuerit, ille meritum supplicium ab illo ſufferendum ſibi non ignoret. Hæc ille. Absit autem à nobis quoque vt in eos qui vel simplicitate potius quām improbitate peccant ſine aliorum pernicie & insigni blasphemia, vel in explicando quopiam Scripturæ loco à recepta opinione diſſident, Magistrū armemus. Non ita desipimus Belli, neque omnem humanitatis ſenſum exuimus: imò in iſis quoq[ue] cōtagiosis & capitalibus morbis tentari pri-mùm omnia mitiora remedia, & ad Dei gloriā approximi charitatē omnia volumus administra-ri. Neque aliter vñquam à nobis factū eſſe, idoneis rationib[us] comprobabis.

Ad Erasmū venio, à quo vltro profiteor me in plerisque diſſentire. Quid enim in eo potiſſimum ſequar non inuenio, qui ita varius eſt vt eum ſatis appareat quid crediderit diſſimulare quām dicere

maluisse. Et tu hūc nobis Belli opponis, cuius præ-iudicio tot sanctæ Ecclesiæ vt crudeles arguantur? Sed vt cum etiam iudicē aliquatenus accipiamus, quid aliud ex eius scriptis colligas quàm hæretico ruin iudicia perperam & crudeliter à Pontificiis exerceri? quia scilicet Episcoporum munus est non exurere & perdere, sed docere & mederi. *Quid autem uerat,* inquit, *ne Princæps hæreticos turbantes publicam trāquilitatem ē medio tollat?* Et paulò post, *Hæc*, inquit, *nequaquam loquor in fauorem hæreticorum, neque me patrono quisquam habebit mitius, si modò uerum cognouero hæreticum, id est malitiose errantem, factiosum, et immēdicabile.* Quum igitur nobis Erasmus obiicis, quis te præuaricari nō putet? aut certè, quod illis plerunque accidere solet in quibus defendendis clementiæ laudem captare voluisti, tuendæ malæ causæ studio ita transuersum agi vt. causam aduersariis prodas.

Ad Caluinum venio, cuius nomen cur tibi puta *Iohann. Caluinus* ueris usurpandum causas multas fuisse video, quas quum tu veteratoriè dissimules, ego palam faciā. Minime id quidem quod ipsius existimatio aduersus tuas calumnias vlla defensione indigeat, sed vt quæ sit tuæ factionis impudentia omnes intelligat. Quæ sit ergo illius sententia non modò ex aureolo ipsius libro in Seruetum scripto, sed vel ex ipius in Epistolam ad Timotheum priorem, & Epistolā ad Titum commentariis cognoscere potueras, nisi hæc omnia præ tuis contemnere soleres. Neque verò id ignorasti: siquidem ex quo die Seretus in carcerē coniectus est, nunquam destitisti id factum ita reprehendere vt totam inuidiam impudentissimis & fal-

físsimis tuis calumniis in illú vnū deriuares. Quintam hæc ipsa farrago tua eo consilio à te & Basilio illo Montfortio collecta est, vt duarū celeberrimarum Ecclesiarum Tigurinæ & Geneuensis fidelissimos duos Pastores ex Ecclesia Dei eiiceretis: quod vel ex Basilii refutatione planū faciam. Sed quū id apertè facere vereremini, & vestræ illius crudelissimæ clementiæ patrocinium ita vobis suscipiendum putaretis, vt ea res fraudi vobis esse non posset, præterquām quòd vera vestra nomina tum in hac farragine, tum in iis literis subticuistis, quibus nuper conati estis exitialem seditionem in Ecclesia Geneuenfi excitare, celari et iam posse hoc vestrum cōsiliūm credidistis si inter cæteros quorum auctoritatē nitimipi, Caluini nomen appareret, vel certè his artibus vos effecturos vt ille apud omnes manifestæ leuitatis argueretur. Atqui Belli, crassius est hoc tuum commentum, & consilium impudentius quām vt animaduerti facile non possit. Atque vt paucis tibi respondeam, apertior est ista tua calumnia quām vt accuratiorem responcionem requirat. Caluino verò eximio & excellēti seruo Dei, quum omnium tui dissimiliūm, id est bonorum & eruditorum iudiciis non modò singularis pietatis, solidæ eruditionis, indefessæ diligētiæ, sed etiam perpetuæ constantiæ laus, vel ipsa inuidia approbāte, tribuat, splendidior est hæc ipsius gloria quām vt fumis vestrīs obscurari, firmior quām vt calumniis vestrīs labefactari possit. Profectò ex iis quæ tibi ex ipsius scriptis diligenda putasti, colligere hoc vnum potes, quod maximè cōtra te facit: eum scilicet homi-

nem quem vos in gurgustiolis vestris latitantes fan-  
guinarium soletis vocare, ab omni vi & crudelita-  
te quam longissimè abesse. Quæcunque igitur ille  
aduersus Pontificiam tyrannidem scripsit, ea in ve-  
stram quoque factionē dicta esse existimate, quum  
hi sint omnium hominum crudelissimi qui lupis  
parcendum putat ut in Christi gregē impunè gra-  
fari possint. Supersunt ex recentioribus vnum & al-  
ter, quibus & ipsis grauissimam fecistis iniuriam, si-  
cut suo loco ostendemus.

Ad veteres venio: Lactatium, Chrysostomum,  
Hieronymum, Augustinū, Hilarium: inter quos La-  
ctantius diuersam causam agit, in eos scilicet iue-  
ctus qui Christianam religionem ferro & igni op-  
pugniabant. Chrysostomus hæreticos per Mágii  
stratū non vetat puniri, sed eradicari: & vnicā tantū  
zizaniorum parabola nititur, de qua copiosius a-  
libi differemus. Hieronymus vltrà etiam progre-  
ditur, sicut à nobis ostendetur. Augustinus quoad Hieronymus.  
duas propositæ quæstionis priores partes, ita pro-  
me facit ut vestra omnia argumenta ipsius verbis  
possim diluere. Hilarius sui temporis Episcopos Argentinus.  
obiurgat, quod officii sui obliiti, solis Principum ar-  
mis aduersus hæreses certarent: & in hoc vnum inten-  
tus quod agebat, zelo pietatis abreptus longius  
progreditur. Non est igitur, siue quæramius an pu-  
niendi sint hæretici, siue an per Magistratū punie-  
di sint, cur Patres illos nobis opponas: Augustinū  
præsertim, ex quo ea dūtaxat excerptisti in quibus  
bonus ille vir, & moderatissimi ingenii homo, præ-  
fectos Cæsaris ad clementiam seruādam hostatur:

plurima verò quæ idem aduersus Donatistas eandem hanc causam vobiscum agentes verè & piè disputauit, partim astutè præteristi, partim Basilio collegæ tuo paucis verbis attingēda reliquisti : quā tuam fraudem suis locis patefaciemus.

Sed agè nunc, Belli, tecum cùmque tua factione cominus pedem conferamus . In hoc autem certamine singula vestra argumenta, eaque nuda proponemus , ne , quod bonus ille vir Georgius Clebergius veretur, tenebras videamur iudicū oculis offendere: nuda inquam argumenta proponemus, ut quæ sit eorum vis vel ab ipsis pueris intelligi possit. Hoc tamen in primis admonitum esse lectorē volo quod præfari soletis, Sanguinē à nobis oppugnari, à vobis defendi: in eo vos non modò impudenter & calumniosè, verum etiam aduersus conscientiam vestram facere. Nam & qui simus nostis, & quomodo in Ecclesiam simus affecti non modò præsens ætas, sed etiā posteritas iudicabit . Quæso verò quæ hæc clementia est, crudelissimis lupis blandiri ut oues innocētes Christi sanguine redemptas impunè dilaniēt ? quæ hæc patiētia, vineam Domini sinnere ab immanissimis monstris deuastari ? quæ benignitas, supino animo despicer Domini Dei nostri nomen omnibus cōtumeliis affectum ? Quid enim an hæc fieri negatis ab his quibus hæreticorū nomen conuenit ? Nónne enim illi sunt de quibus ait Apostolus, ingressuros lupos graues qui gregi non parcant, vitos peruersa loquentes ut discipulos post se abducant ? Quod si forte respōderitis vos hæreticis non fauere, sed ad moderationem seruan-

Crudeles nō es-  
f. qui hæreticos  
puniunt, sed eos  
potius a quibus  
fuerint.

39

dam omnes adhortari: dicite quæso quibus finibus  
istam clementiam definiatis. Nam si homines pror  
sus infideles, si in moribus sceleratos, si imbecillos  
in fide, si simplicitate potius quam improbitate abs  
que aliorū pernicie errantes, non vultis pro hæreti  
cis haberi, certè vobis assentimur: si inter ipsos hæ  
reticos distingui pro rerum, temporum, locorum,  
personarum ratione: si causam ab Ecclesia ex puro  
verbo Dei ritè & placidè cognosci: si Ecclesiasticā  
primūm disciplinam adhiberi: si à Magistratu etiā  
ipso omnia primūm remedia mitiora tentari vul  
tis, scitote nos à vobis non dissidere. Id enim nos &  
voce & scriptis docere, idq; in Ecclesiis nostris quo  
ad eius fieri potuit adhuc esse obseruatum ne vos  
quidē saluo pudore inficiari potestis. Sed lögè aliò  
vestra consilia spestant, vt scilicet postquam ad sim  
plices homines inescandos clementiam estis præfa  
ti, totam à fundamētis religionem subuertatis. Hoc  
ego inquam liberè dico, & Christianis omnibus Ec  
clesiis vociferor, nisi vestræ impudētiæ mature  
occurratur, fore vt radicitus Christiana religio cōuel  
latur: idque ita esse ex his argumentis planum fiet,  
quibus vos præcipue niti video, vt primam quæ  
stionis propositæ partem, id est hæreticos punien  
dos non esse, doceatis.

Concilium ad  
uersariorum.

Primum argumentum, quo probare nütūtur aduersarij non esse  
puniendo hæreticos. Quia scilicet ea omnia de quibus  
quæri solet, sunt non usque adeo cognitū necessaria, neque  
sciri possint nisi ab ijs qui sunt mundo corde: Et si sciantur,  
hominein non reddunt meliorem.

i. argumentum.

c.iiii.

Hoc est itaq; vestræ opinionis fundamentū, quod Christianā religionem ex vita innocēte, vitæ autē innocentia, quam vestē candidā vocatis, in mutuis tantū hominū inter se officiis philosophicè potius quam Christianè ponitis. Id verò quod primū ac præcipuū est, id est Dei cultum, interdum in vestræ illius albæ vestis descriptione prorsus prætermittitis, interdum autē vultis in ea tantum Dei cognitione versari, quam ne diabolis quidem potestis eripere. Nam alteram illam electis peculiarē, quam scilicet fidem vocamus, in qua euertenda diabolus iam inde à mundi initio omnes neruos contendit, non modò ut minime necessariam, sed etiam ut superbiæ ac sanguinitatē parētem reiicitis. Quorsum autem hoc? nempe ut quum hominibus persuaseritis eas res de quibus tanto iam tempore inter Christianos disputatur, neque prius quærēdi finis erit quam Dominus Iesus omnia sub pedibus suis subiecerit, eas, inquam, res parum ad salutem esse necessarias: inde efficiatur, eos qui adhuc pro haereticis habiti sunt, non modò non acerbè puniendos, sed etiā impunè esse tolerandos. Vultis enim ut quisquis cum Iudæis vel Turcis dicunt se Deum credere, & præterea Christum esse Filium Dei, ac mundi dominum & iudicem, vitamq; ita instituit ut neque fur, neque adulter, neque homicida sit, aut aliquo eiusmodi crimen contaminatus, de quo nullæ quæstiones aut libri fiunt, sub albæ istius vestis amiculo omnia errorum portenta tegere, & de cæteris rebus, id est de toto Euangeliō, quiduis sentire, scribere, docere posse sit. Hac esse vestram sententiā ex vestris verbis non

obſcurè conſtat, quæ fide optima deſcripsi, vt veſtræ blaſphemiarum toti mundo pateſtiant, & nihil hīc  
 à me conſingi omnes intelligent. Christianam igitur  
 vitam agnosce, Belli, quomodo definiſas. Eſt Chriſtus, inquis, princeps mundi, et a terris diſcedens hominibus praedixit ſe uenturum incerto die et hora: mandauit ut uelut can-didas ſibi in eius aduentum pararent, hoc eſt ut pie et a nice ſine contentionibus uiuerent, et alij alios diligenter. Recte profeſtò, ſi quid ſit pie uiuere explicares: quanquam alibi te video uestem tuam albam paulò aliter depingere. Sic enim paulò poſt deſcripſisti, ſiquis interea exiſtit qui uestem albam ſibi parare, hoc eſt innocentia uiuere ſtudeat. Quid ergo inde conficitur: duas nimirum eſſe Christianæ, hoc eſt yera religionis notas, pietatē & uitæ innocentiam. Audiamus nūnc quid pietatem voces. Diſputatur, inquis, non de ma qua ad Christum ueniri poſſit, loc egr de uitæ correctione, ſed de iipſius Christi ſtatu et officio: ubi nam ſit ipſe Christus, quid agat, quomodo ſedeat ad dexteram Patris, quomodo ſit unum cum Patre, item de Trinitate, de predestinatione, de libero arbitrio, de Deo, de Angelis, de ſtatu animalium poſt hanc uitam, et ceteris huicmodi rebus quæ neque ad ſalutem per fidem obtinendam uſque adeo cognitu neceſſariæ fuunt: (ſiquidem ſine earum cognitione ſalui facti ſunt publicani et meretrixes, neque cognoci poſſunt antequam cor mundum habentias: (ſiquidem illa uidere, eſt Deum ipsum uidere, qui ſine mundo corde uidet, non poſteſt: iuxta illud, Beati mundo corde, quantum iipſi Deum uidebant: ) neque ſi ſciantur, reddunt hominem meliorem: quum dixerit Paulus, Si ſciām omnia mysteria, et charitatem non habeam, nihil ſum. Item alibi, Credere in Deum Patrem, et Filium, et spiritum sanctū, et pietatis præcepta quæ ſunt in sanctis scripturis approbare, eſt aurea moneta, et auro ipſo probator et explorator. Sed habet haec tenus hæc moneta diuersas imagines, dum homines inter ſe de Cœna, de Baptisma et

ceteris huiusmodi rebus dissentire. Cognitionem autem Dei  
 à te nullam in Christianis requiri præter eam quia  
 habent partim cum Iudæis & Turcis, (vt vos quidē  
 vultis) partim cum ipsis diabolis communem, etiam  
 ex aliis locis constat. Fuit olim, inquis, in omnibus ferè gen-  
 tibus opinio, multos esse deos: hunc errorem sustulit aduentus su-  
 Christus, ut iam neque Turcae, neque aliae nationes dubitent qui  
 sit unus Deus, atque in hoc consentient omnes cum Christianis. si-  
 quis Deum negat, is impius & atheus est, & omnium iudicio me-  
 ritò abominandus. Hoc etiam habent Turcae, quod credunt in eum  
 Deum de quo Moses scripsit, in quo & cum Iudeis & cum Chri-  
 stianis conueniunt sine controversia. Venio ad Christi co-  
 gnitionem, quam vos impiè à Dei cognitione di-  
 stinguitis. Eam igitur partim Christianis cum  
 Turcis communem, sicut & fanaticus ille Postel-  
 lus, partim Christianorum propriam esse vis. Sic  
 enim ait ad verbum, Christus multum tribuunt & Turcae,  
 in quo Iudeos superant, & hoc habent commune cum Christianis. Quam autem Christi cognitionem facias Chri-  
 stianorum propriam, partim ex aurea illius mon-  
 tæ tuæ charactere apparet, partim ex his quæ pro-  
 ximè sequuntur. Sic enim loqueris, Christiani in hoc o-  
 mnes alios excedunt, quod credunt Iesum Christum esse Dei Filium,  
 & mundi dominum atque iudicem: atque hoc est omnium Christianorū cōmune. Hæc sunt portenta vestra, hæc diabolicae  
 voces, quib⁹ haud satis scio an quicquā magis hor-  
 redū & execrandū iam inde ab initio prædicati E-  
 uangelii sit exauditū: & tamē non desinitis clemen-  
 tiæ patrociniū à vobis suscepimus dicere aduersus  
 crudeles & sanguinolētos quosdam Pastores, quos  
 quidem primū à vobis numerare debuitis: pietas,  
 inquam, modestiæ, innocentiae studium egregiè  
 simulatis: denique vestrā illam albam vestē & per-

festionem Anabaptisticam vbiue præfertis, quam  
ego sanè libens vobis concedo, vt vestra etiam con-  
fessione appareat vos illos esse rapaces lupos, qui al-  
ba ouium veste tecti, in gregé Domini inuadāt. Pu-  
det me verò in hoc cœnum ingredi, sed tamen hoc  
faciā, & illata verbi Diuini luce, vestras tenebras di-  
scutere conabor. Vobis ergo pietatis summa est  
veluti tribus gradibus constituta: quorū primus est  
Deum vnum fateri cum omnibus gentibus: secun-  
dus, Deum illum vnum agnoscere cum Turcis & Iu-  
dæis, de quo Moses scripsit: tertius, Iesum Christum  
credere esse Dei Filium, & mundi dominum ac iu-  
dicem. His attexitis secundæ Tabulæ obseruationē.  
In hac autem pietatis distributione non modò præ-  
termissa dicimus quæ præcipua sunt, totum scilicet  
Euágelii ministeriū, sed etiam plurima esse prorsus  
aliena. Nam si eum habes pro Christiano, id est pro  
pio & religioso qui tria illa confiteatur: quid caufæ  
est quomin⁹ Christianissimos esse diabolos cōfitea-  
mur? Certe enim multò min⁹ dubitāt quām homi-  
nes, vnū esse Deum, & eum quidē de quo Moses scri-  
psit: Christū autē non modò excellentē Prophetā,  
Spiritū, Verbum, ac Virtutē Dei cum Mahumede  
profitentur, sed etiam Filium Dei esse vociferātur,  
ac proinde mundi dominum ac iudicem. Nam il-  
lud quoq; adiiciūt, Cur venisti ante tempus torque-  
re nos? Credunt, inquā, hæc omnia, & contremiscūt.  
Num igitur pii & religiosi: Minime verò dices Nā  
præterea innocentē & integrā vitā requiri, id est  
vt pietatis præcepta quæ sunt in Scripturis appro-  
bentur. Nos verò Belli optaremus vt quæ sint ista  
pietatis præcepta definisses. hoc enim à te additum

Refutatio.

Articulo The-  
logiæ Mahume-  
tanæ 46.

Matth. 8.d.29

Iacobi 2.d.19

esse appareat ut tibi effugiū aliquod pateat. Sed ipse  
 tibi iter præclusisti, quū præcipua pietatis capita no-  
 minatim dices neque esse ad salutē per fidem obti-  
 nendam necessaria; neque si sciantur, meliorem ho-  
 minem efficere. Ex quo sanè videris fidē Christiano-  
 rum in cognitione historica ponere, & vitæ in-  
 nocentiam vel ex philosophiæ præceptis, vel certè  
 ex secundæ tātum Tabulæ obseruatione metiri, si-  
 cut à Christo optimo interprete explicata est: quod  
 vtrūque perperam facis, quum fides Christianorū  
 lōgē aliud sit quām putas: neque philosophia, quæ  
 sint præcipuæ virtutes, fides scilicet, inuocatio, &  
 charitas, non quæuis, sed quæ Dei verbo innititur,  
 vel vnde petendæ sint, vel ad quem finē referendæ,  
 explicarit. Secūdæ verò Tabulæ obseruatio nisi ab  
 animo per Christum fide apprehēsum sanctificato  
 proficiscatur, nihil aliud quām peccatum ac mortē,  
 cuius ministra Lex est à Christo separata, afferre po-  
 test: quia qui non credit Filio, non videbit vitam, sed  
 ira Dei manet super eum. Quòd si Dei cultū in nu-  
 da illa Christi cognitione ponas, quis nō videt dia-  
 bolos quoad præcipuam religionis partē Christia-  
 nis hominibus tanto antecellere, quanto excellen-  
 tiorem de Deo Patre, Filio & Spiritu sancto cogni-  
 tionem habēt? Quod quum falsissimum & absurdissi-  
 sum sit, tua quoque principia nutare ac vacillare  
 necesse est. Sed procul absint à nobis hæc errorum  
 portenta, qui Christianam religionem longè aliter  
 definire didicimus. Falleris enim, Belli, falleris vehe-  
 menter, in eo primū quòd Deum cum idolo, id est  
 veritatem cū mēdacio cōfundis: deinde quòd ve-

ræ, id est Christianæ fidei definitionem non tam im  
 peritè, vt opinor, quām malitiosè dissimulas: postre  
 mò quòd in describenda vitæ innocentia, id ipsum  
 prætermisisti quo sublato bonū opus à peccato ri-  
 tè distingui non potest. Ac ad primum illud qu idē  
 quod attinet, quanuis Diuinitatis quidam sensu; s o-  
 mnium animis à natura insculptus est, tam tenuet a-  
 mē atque infirmum illud quicquid est, esse affirmo,  
 vt nisi aliud extrinsecus accedat, nō ad veri Dei co-  
 gnitionem, sed ad idoli fabricationem sapientissi-  
 mos etiam homines adducat: idque ita esse præter-  
 quām quòd ipsa docuit experiētia, sic ni fallor opti-  
 mè cognoscemus. Quicunque colendi Dei rationē  
 constituerūt, ( quales semper fuisse multos constat  
 non modò in singulis regionibus, sed etiā vrbibus )  
 eos necesse fuit in naturam Dei tāquam in scopum  
 respicere, vt eo demum modo colendum ipsum do-  
 cerent, quo ipsum putarent delectari, id est qui natu-  
 ræ ipsius consentaneus esset. Itaque qualem singuli  
 de Deo opinionem habuerūt, talem & ipsi colendi  
 illius rationem sunt sequuti. Atqui infinitæ semper  
 fuerunt & sunt etiamnū hodie colendi Dei formæ.  
 Ex quo consequitur quum inter cultum Dei & per-  
 suasionem de Deo perpetua sit analogia, nō minus  
 varias esse de Deo opiniones. Deus autem vñus est,  
 ac proinde vnicam religionis speciē probat, quam  
 scilicet ipse præscripsit. Quamobrem tot esse idola  
 necesse est, quot sunt religionum formæ ab homi-  
 nibus excogitatæ: inter quas Iudaicā numero, eam  
 dico quam nunc Iudæi usurpant: & quicunque à ve-  
 ro illo & Evangelico Dei cultu deflexerūt, eos non

Deus quomodo  
 ab idolo distin-  
 guatur.

verum Deum, sed idolum adorare. Absit igitur à nobis ut non alium Deum à Christianis quam à Iudeis & Turcis coli dicamus. Malumus enim Paulus assentiri qui ad Galatas scribens, ipsos testatur Deum ignorasse, & Ephesios ~~etiam~~ vocat: itemque ad Corinthios, Deum, inquit, mundus per sapientiam non cognouit. & Dauid, Dii gentium, inquit, dæmonia. Neque hæc pugnant cum his quæ secundo capite ad Romanos dicuntur, ubi Apostolus sicut testimoniū de Deo in naturæ operibus conspicuum commendat, ita vicissim non unius aut alterius hominis, sed totius humanæ gentis miserabilem corruptionem deplorat: ut scilicet ostendat quod paulò antè affirmauimus, haec tenus in nobis valere obscuram de Deo in corrupta nostra natura notitiā, ut idoneam nullam excusationē afferre possimus, non autem ut eam tanquam ducem fecuti, ad veritatem lucis illius diuinæ penetrare possimus: ut quis & qualis sit Deus, & quomodo colēdus, naturæ praesidio, aut ex mundi contemplatione intelligamus. Hæc igitur quæ ex Paulo adduxi si tu idcirco putas ad id de quo agitur non pertinere, quod illos quos Paulus alloquitur, plures deos aliquando coluisse: respondeo non ideò tantum reprehendi quod plures deos haberent, sed quod verum Deum ignorarent. Nam unum quendam Deum ipsos coluisse pluribus nominibꝫ, Augustinus ex Varrone & aliis multis docet: id est idolum, cuius scilicet naturam ex ingenio suo metiebantur. Christus autem de Samari tanis loquens, qui tamen Deum Abraham colere se itabat, Vos, inquit, adoratis quod nescitis: quinetiā

Gala.4.8.

Ephes.2.c.12.

1.Corinth.1.c.21

Psalmo 96.a.5.

Iohann.4.c.22.

de Iudæis ipsis, Si Moysi inquit, credidissetis, credi-  
dissetis & mihi. Et alibi, Quisquis negat Filiū, is ne  
Patrem quidem habet. Obsecro igitur quo podo-  
re cōstituistis quæ sit vera religio nos docere, qui ne  
idolum quidem à Deo distinguere didiceritis? Ce-  
dò verò, fidem Christianorū quomodo definis? qua  
scilicet credimus Iesum Christum esse Dei Filium,  
mundi dominum ac iudicem. Hæc enim est aurea  
illa tua moneta. De cæteris autem, id est ut ex mul-  
tis pauca numerem, de Christi natura, statu & offi-  
cio, de Trinitate, de iustificatione per fidem, quid e-  
xistimabim⁹: quid docebitur in Ecclesia: quid sen-  
tiēt fideles: Quicquid libuerit. Habet enim hæc mo-  
neta diuersas imagines. id est, vt Mahumedes ille lo-  
quitur, Lex quidem siue fides omnium est vna, sed ri-  
tus diuersorum, nimirū diuersi. Auditis hanc bla-  
phemiam Reges, Principes, Magistratus, & diutius  
permittetis vt huiusmodi portetosa ingenia Chri-  
sti Euāgelium libris etiā editis nō dico profanent,  
sed vt maxima ex parte minime necessariū rideat  
ac contemnāt: Quā enim isti notitiam in Christia-  
nis requirunt, eam scilicet qua non intellecto Chri-  
sti statu & officio ipsum credimus Filium Dei esse,  
mundi dominum ac iudicem, eam nemo fidelis est  
qui ignoret nihil aliud quam desperationē posse in  
nobis gignere, nisi promissiones, id est ipsius Chri-  
sti statum & officiū ita cognoscamus, vt tanquam  
nobis proprias & peculiares amplectamur. Summa  
enim Euangeli, quod est Dei potētia in salutem o-  
mni credenti, hæc est, Christum apprehendere ut fa-  
tum nobis à Deo sapientiam, iustitiam, sanctifica-

Iohan. s. g. 46.

1. Iohan. 2. d. 23.

Quæ sit Chri-  
stianorum fides.Articul⁹ Maha-  
metanæ Theolo-  
gia secunde.

Rom. 1. b. 16.

1. Cor. 11. d. 30.

tionem ac redemptionem. Ita enim intelligendum est quod Scriptura s̄aþe dicit, Credere Filiū Dei esse Iesum Christum : & Iesum Christum cōfiteri in carne venisse: ea scilicet fide quæ testimonium illud amplectitur, quòd vitam æternā dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio eius est. Nam tum demum credit aliquis quòd Iesus Christus est, quum per Spiritum sanctum edoctus, certò statuit ad se propriè & peculiariter pertinere quæcunque nobis à Deo gratias per Messiā promissa sunt, cámque fidem necessariò & spes, & charitas consequuntur.

Vt autem istorum improbitas ac scelus extre-  
mum apertissimè declaretur, singulas etiā ipsorū  
blasphemias ( quando ita necesse est) persequemur.  
*Disputatum est, aiunt, non de via qua ad Christum ueniri possit, id est de uitæ correctione, sed de ipsius Christi statu & officio.*  
Quæso verò Belli, vt de hac tua via qua ad Christū  
peruenitur hoc loco nihil dicam: Christum Dei Fi-  
lium esse, mundi dominum ac iudicem quomodo  
tādem intelligam, si de ipsius statu & officio quære-  
re necessarium non est? Hæc enim ita sunt inter se  
coniuncta, vt diuelli nō possint. Sed vt possint: quo  
fructu Christum mūdi iudicem esse cognoscam, ni  
si hoc quoque teneā, quos sit in genere absoluturus,  
(nam de singulis nō loquor,) quos condemnaturus,  
qua ratione ipsius irā vitare, ipsius benevolentiam  
mihi conciliare possim? Vitam corrige, dices: hæc  
enim vna via est qua ad Christum peruenitur. Quid  
si excipiam cum Paulo me venditum esse sub pec-  
catum? veniente mandato peccatū reuixisse: quod  
ad vitam comparatū est, propter carnis infirmita-

Matth. 16. c. 16.  
Acto. 8. g. 37.  
1. Iohann. 4. a. 2 &  
cif. item, s. b. ii.

Rem. 7. & 8.

tem mihi ad mortē cedere? Quid si vltterius progres-  
sus, dicam me non facere bonum quod volo, sed ma-  
lum quod nolo: quæ tamen vox est solorum fidelium  
& regeneratorum. Nonne si h̄ic consistam, vel fru-  
stra conabor omnia, vel ad desperationem adigar?  
Christiani igitur diuersam prorsus viam insistunt,  
& aduersus hæc mala in Christi statu & officio vni-  
cum remedium inueniūt. Dicimus enim sicut vna Ioh.14.2.6.  
via est qua ad Deum peruenitur, ipse scilicet Chri-  
stus: ita vnum iter esse quod ad Christū ducit, fidem  
scilicet: quæ quidem fides omnia illa dogmata quæ  
vos vt nō necessaria reiicitis, ita amplectitur, vt qui  
cunque verè fideles sunt, præterquam quod his vt  
veris assentiuntur, (quod ipsi etiam diaboli faciūt)  
etiam ad se propriè & peculiariter Dei promissio-  
nes pertinere ex Spiritus sancti & conscientiæ testi-  
monio colligant: id est, non modò Christū credant  
Dei Filium esse, coæternum & consubstatiælē Pat-  
tri, & quæcunque præterea de Patre, Filio, & Spiritu  
sancto in historica vtriusque Testamenti narratio-  
ne referuntur, sed etiam sibiipsis Deum esse, neque  
duntaxat mundi iudicem, verumetiam sibiipsis pa-  
tronum esse ac reconciliatorem, Christum inquam  
vt factum sibiipsis à Deo Patre sapientiā, iustitiam,  
sanctificationem ac redemptions, fide sibi gratis à  
Deo data agnoscant. Iotas igitur pestes, istos albatos  
lupos qui te negant Domine, quum statum & offi-  
cium tuum vt non necessarium repudiant, aut pro-  
cul arce à tuorū grege, aut penitus abscinde: vt quū  
statum ac officium tuum, id est nominis tui vim ac  
energiam, verè cognouerimus, & per Spiritū tuum

d.i.

Christianos ne-  
cessariò cognoscere  
debere quis sit  
Christi statu & quod officiu-

senserimus, in sanctitate & iustitia tibi concordes seruiamus. Sed quò me æstus abripuit? Ad te, Belli, redeo, qui quæstiōne de Christi statu & officio non putas ad salutem per fidem obtinendā usqueadē necessariam esse: *Quia, inquis, sine hac cognitione salvi facti sunt publicani et meretrixes.* O impudentiā inauditā! Saluos esse factos peccatores per eum quem non inuocauerint: inuocasse in quem non crediderint: credidisse in eum quem prius non cognouerint: cognoverint inquam, non modò ut Dei Filiū, mundi dominum ac iudicem, sed ut sibi ipsis peculiariter gratias à Deo datū: ut quia ipsi in eum credūt, ideo non pereant, sed habeant vitam æternam. Est hoc Christi officium singulis Scripturæ paginis ita inculcatum, ita dilucidè, copiose ac luculenter per singulas partes explicatū, ut qui eius cognitionem dicat necessariam non esse ad salutem per fidē obtinendam: aut si sciatur, meliores homines non reddere, quæ sit fidei materia & substantia ignoret, verè diabolus sit non homo, ut qui Spiritū sanctum tanquam garrulum ac importunum accuset. Id autē quum non sine horrore vel ab ipsis diabolis cogitari possit, quid de vobis sentiēdum qui editis etiam libris id audetis affirmare? Cognosci non vultis vbinam sit Christus, & quid agat, & quomodo ad dexteram Patris sedeat. *A. 10. 1. b. 11.* Hebr. 4. d. 14. Hebr. 7. d. 26. Ephes. 1. d. 21.

Iohan. 3. b. 16.

Vbinā sit, quid agat, & quomodo ad dexteram Patris sedeat. *A. 10. 1. b. 11.* Hebr. 4. d. 14. Hebr. 7. d. 26. Ephes. 1. d. 21. Ephes. 2. b. 6.

verò potius ea re nititur consolatio nostra, quod ad Patrem ascendit in cælos vt aditum nobis ad Patrem patefaceret: vt vñà cum ipso sedeamus in cælestibus: vt daret dona hominibus, & arrabonem illius hæreditatis nostræ: vt illic sciamus eū apud Patrem pro nobis interpellare, sublimiorem cælis factum. Et vos hanc nobis consolationem extorquebitis?

Ephes.4.b.10.

Iohan.14.a.2.

Ephes.1.b.14.

Sed & ipsam Trinitatis cognitionem vos quoque inutilem facitis: nempe nequid salui in Christiana religione supersit. cui vestro sceleri fateor me dignū nomen non posse reperire. Nam qui vos Arrio, Sabellio, Aëtio, Eunomio, Apollinari, Maneti, Marcioni, Eutycheti, Macedonio, Samosateno, Nestorio, Campano, Serueto, Schuelfedio, Menoni, & cæteris huiusmodi hominum monstros comparavit, illis profectò iniuriam faciat, quorum improbitatem horrendam multis partibus superatis. Illi enim quanuis sacrosanctum Trinitatis mysterium infinitis modis profanarint, minime tamen eo impudentiæ processerunt, vt Trinitatis cognitionem in earum rerum numero ponerent quæ non essent necessariæ: & quæ si sciantur, meliorem hominem non reddat. Itaque quid superest nisi vt vos prout novis diabolis habeam⁹ qui Deum ipsum ex solio contentur deturbare? Vósne verò sanctissimos Patres, qui tot annos non verbis tantum & voce, sed tot libris nunquam interituris, sed perpetuis laboribus omnique calamitatum genere, ipsa denique sanguinis profusione, Trinitatis mysterium aduersus tot Regum, Principum, hæreticorū immanitatem constanter asseruistis: vos inquam neque prudentes, ne-

Cognitionē Trinitatis esse religionis Christianæ fundamentum.

que fortes, sed imperitos & pertinaces in causa patrum necessaria fuisse arbitrabimur: Quæso te, Anastasi, quorsum per vniuersum orbem terrarum tandem oberrasti: quorsum Symbolum illud tuum admirandæ breuitatis condidisti, si ad refellendos haereticos ostendere non licet ex quibus Scriptiæ locis colligamus Christum vnum esse cum Patre: in vna essentia tres hypostases distingui: verum Deum & verum hominem in uno Filio Dei Christo neque permisceri neque cōfundi, sed ita vniuersi ut unus Christus existat: Vt in amorem simplici assensione contenti essent homines, ut de istis subtilius disputare boni viri minime cogerentur: sed quum Satan quorundam vltens curiositate penè infinitas rationes excogitarit quibus partim errores suos astrueret, partim Dei verbū cuerteret, ferendane ista sunt, ac non potius vera ac germana verbi Dei interpretatione fideles confirmandi: Vos autem non modò de his quæri non vultis, sed etiam affirmatis si hæc cognoscantur, meliorem hominem non efficere. ô blasphemiam! ô impietatem! ô sacrilegiū! Deleatur ergo deleatur diuinissimum illud diui Iohannis initium, in quo Filii Dei æterna ομοσία, distinctaque hypostasis, Diuinæque naturæ cum humana in unum Christum vnio tam clare & perspicue declaratur. Deleatur Baptismi formula in nomine Patris, Filii, ac Spiritus sancti, in Christi Baptismo testibus etiam sensibus externis confirmata. Nam & Patris vox audita est, & Christus voce Patris verus Deus ac verus homo declaratus, & Spiritus sanctus in columbae forma humanis oculis conspectus: quæ o-

*Quid Christiani  
nos impulerit ut  
de Trinitate dis-  
putarent.*

*Matth. 28. d. 19.*

*Matth. 3. d. 17.*

mnia, si blasphemiiis istorum credimus, ad salutem  
 nostram necessaria non fuerunt. Deleatur diuinum  
 illud Epistolæ ad Romanos proëmiū, in quo tam  
 apertè tres in vno Deo personæ, & vtraque in Chri-  
 sto natura explicantur. Quòd si hæc deleta fuerint,  
 vbi fides, vbi consolatio nostra: nisi enim Patris &  
 Filii hypostases distinguantur, quomodo credā me  
 Patri per Filium recōciliatum: nisi Christus verus  
 Deus est; ideóq; coæternus & consubstancialis Patri,  
 quomodo seruator? quomodo sanctificator? quomo-  
 do peccati, mortis, diaboli victor? nisi verus homo  
 per omnia, excepto peccato, quomodo mediator?  
 Natus, passus, sepultus, suscitatus, in cælos reuersus  
 vt in carne nostra cælorum possessionem credenti-  
 bus acquisitam cerneret? quomodo frater noster, ca-  
 ro de carne nostra, os ex ossibus nostris: quomodo fi-  
 delis Pontifex, vt iis qui tentātur possit succurrere?  
 Quòd si duo Christi sunt, quomodo vñus Aduoca-  
 tus noster, & quomodo iustificatio & sanctificatio  
 nostra est? Quòd si confusio est naturarum, quomo-  
 do fitire, esurire, mori pro nobis potuit? Rursus nisi  
 ab vtroque Spiritus sanctus secernatur, quomodo  
 Filius rogat Patrem vt nobis det Paracletum: quo-  
 modo eundem veritatis Spiritū qui etiam de Filio  
 accipit, Filius nobis mittit? Et nisi hæc ita sint, per  
 quem sciemus nos esse Dei filios? quomodo tem-  
 plum Dei erimus? vbi pignus hæreditatis nostræ?  
 vbi cōsolatio in afflictionibus? Quis gemitus illos  
 inenarrabiles in nobis excitabit? quis clamabit  
 Abba Pater? quomodo nos Christus sanctificabit?  
 quomodo Pater & Filius apud nos māsionē faciēt?

1. Timoth. 2.b.5.  
Hebr 4.d.15.

Ephes. 5.g.30.  
Hebr. 2.d.18.  
1. Iohann. 3.a.1.

1. Cor. 1.d.30.

Iohann. 14.b.16.  
Iohann. 16.a.7,  
& b.14.  
Rom 8.c.16,  
& c.26.  
1. Cor. 6.b.17.  
Ephes. 1.c.14.  
Galat. 4.a.6.  
Iohann. 14.c.22.  
1. Cor. 2 d 16.  
1. Iohann. 4.c.13.

Denique quomodo mentem Christi tenebimus: & nisi ita crederemus, quid miserius, quid calamitosius Christiana natione: Hæc ergo quum tollitis, an inficiari potestis vos ab ipsis fundamentis omnia conuellere? potestis certè: sed ne iuratis quidem vobis Ecclesia Dei credit.

*De Prædestinatione, & Libero arbitrio.*

Quid plura: Quæstionem quoque de Prædestinatione, & Libero arbitrio inanē facitis, præterquam ad superbiam & sauitiam gignendam. quos perniciosissimos errores quid attinet pluribus refutare? Veræ modestiæ hic vñus fons est, si te noueris quo ad salutem per te nihil esse, nihil velle, nihil posse: & siquid habeas, id demum habere quod gratis accepis ab eo qui dat nobis & velle & efficere: tota in afflictionibus nostris spes est in gratuita & immutabili Dei electione, quam quidem in arcano & inescratabili Dei iudicio non quærimus: sed à posteriori, id est à fide, quæ est vocationis in nobis efficacia, colligimus: sicut rursus fidé partim ex cōscientiæ bona testimonio, partim ex ipsius effectis intelligimus per eū scilicet Spíritū, per quē agūtur qui filii Dei sunt. Itaque Paulus singulis ferè paginis doctrinæ de iustificatione per fidē, id est Euāgelio, æternam illum & gratuitam Dei ~~eternam~~ ~~gratiam~~ tanquam basin illius ac fundamentum substernit. Et vos non pudet hanc doctrinam qua consistimus, iter esse dicere ad superbiam & crudelitatem? Fateor certè harum rerum nudam scientiam, nisi per fidem applicetur, nobis odorem mortis esse in mortem. Fateor quoque cum in omnibus Christianæ religiosis mysteriis, tum verò in hoc longè maximo, &

*1. Cor. 4.b.7.*

*Philipp. 2.b.13.*

*Rom. 8.d. 28, & deinceps.*

*1. Iohann. 2.a.3.*

*1. Pet. 3... 2.*

*Rom. 8.d. 28.*

*Ephes. 1.a.4.*

*1. Pet. 1.a.2.*

*2. Tim. 1.b. 9.*

sensibus humanis remotissimo summam modestiam  
 & sobrietatem adhibendam. Sed quae haec est sobrietas,  
 Spiritum Dei ut inutilia docentem reprehendere: Quae modestia est, quum te veluti manu prehensum eousque ducat Spiritus Dei per Apostolum loquens, ut exclamare cogaris, O homo, tu quis es qui exaduerso responsas Deo: restitare tamen, & eos qui extra verbum Dei pedem non ponunt, sed eius potius vestigia cum timore & tremore sequuntur, curiositatis ac temeritatis accusare: Cedò verò, gratuitam iustificationem quomodo tandem expedes: quo modo Pelagianis, quomodo Papistis, quomodo Anabaptistis & ceteris operariis hereticis respondebimus, nisi quid sit illud αὐτοῖς στοιχεῖον, quid αἴραγκες, quid βιάζον, quae hominis corruptio, quae vires, quae facultates doceamus? Denique quomodo Dei bonitate cognoscetis, nisi quanta sit tua improbitas, seriò cognoveris? Sed & de Deo & Angelis cognitionē in eodem albo recenses: quod quomodo cum his quae dixisti de aurea illa vestrā moneta conueniat, fateor me videre non posse. Nam si hominum curiositatē reprehēderes in eiusmodi quæstionibus tractandis, rectè sanè faceres: sed quū in genere in eo homines accusēs quòd de his rebus querarāt: & hanc rationē tuae reprehēsionis addas, quòd neque usque adeò cogniti sint necessariæ: neque si sciantur, hominē efficiant meliorem: apparent vos non requirere ut de istis curiosè & extra verbū Dei non disputetur, sed in ea opinione esse ut putetis de his prorsus non esse agendum, quae scilicet securè à Christianis contemni & ignorari possint. In quibus grauissimè à

Rom. 9.d.20,  
&c.12.

d.iii.

vobis peccari affirmo : quia de istis rebus sobriè & ex verbo Dei disputari, vel ad nos docendos, vel ad infirmos confirmandos, vel ad confutandos hæreticos prorsus necesse est : & bonarū artiū hic præcipius ac legitimus est vſus, si ad has quæſtiones tractandas adhibeantur, ita tamen ut λογική & sophistæ contentiones omnes vitentur, atque intra verbum Dei, quod vnum est ἀνθρώπῳ ἀνθρώπῳ rationem nostram lascuiuentem coērceamus.

An de Deo quæsi necesse sit.

Deinde quum Dei per Christum cognitio sit fidei nostræ materia atque substantia, non possum satmirari quo iudicio cognitionem de Deo nō vſque adeò cognitu necessariam esse dicatis ad salutem per fidem consequēdam: quum paulò antè, Belli, non fidem, sed vitæ correctionem vnā esse viam dixeris qua ad Christum, id est ad salutem peruenitur: atque in aureæ vestræ monetæ descriptione requiri hoc dicatis, vt in Deum Mosis credatur : quæ quomodo inter se cohærent, cogitatione complecti non possum.

De Angelis.

De Angelis verò si sobria cognitione (neque enim Dionysii illius speculationes probo à verbo Dei aberrantes) meliorem hominē non efficeret, cur eorum & naturam, & officium, atque adeò nomina etiam quædam, Scriptura cōmemorat? An quòd Spiritus sanctus de rebus inutilibus garrire velit? cur Paulus rationem Angelorum vult in mulierum ornatu haberi? Cur docet Christus, puerorū Angelos Patris faciem videre? Cur cælestis militiæ mentio fit: quam etiam Eliseus & puer eius intuentur? Cur Angelos Græcorum & Persarum Daniel commen-

i. Corint. ii. b. 10.

Matth. 18. b. 10.

Lue. 2. b. 13.

2. Reg. 6. d. 17.

Daniel. 10. c. 13,  
& d. 20.

morat? Cur toties Dauid Angelorum præsidio nos  
 septos esse dicit? Cur Apostol<sup>o</sup> administratorios Spi-  
 ritus vocat, qui in ministerium emittātur propter  
 eos qui hæreditatem capient salutis? Nonne vt exi-  
 mia in de consolatiōnem, sicut recte quidam scri-  
 psit, percipient fideles, quum ministros sibi attribui  
 audiunt cælestes exercitus, vt salutem ipsorum pro-  
 curent. Est enim non vulgare diuini erga nos amo-  
 ris pignus, habere illos nostra causa in opere assi-  
 duos. Hinc etiam manat rara fidei cōfirmatio, quòd  
 salus nostra sit extra periculū, talibus præfidiis mu-  
 nita. Et ista vos nobis eripietis?

Psal.34.b.8.  
 Hebr.1.d.14.  
 1.Pet.3.d.22.

Cognitionem autē de statu animarum post hāc  
 vitam à vobis, vt parum necessariā, reiici minimè  
 miror, quum bonum illum virū in disertis suis an-  
 notationibus affirmare non pudeat, se quid sit futu-  
 rum seculum ignorare. Nos autem hanc quæstionē  
 necessariò tractandam esse dicimus vel aduersus fa-  
 naticos illos, qui quum dormire animas post mor-  
 tem existimāt, partim ipsarum animarum substan-  
 tiā dissipant: partim fidelium consolationem ma-  
 gna ex parte destruunt: partim ad hoc confirman-  
 dum somniū infinitos Scripturæ locos peruerunt.  
 Et hæc quidem sigillatim de blasphemīis vestris di-  
 cta sint: quarū hæc origo esse videtur, primū quòd  
 cognitionem de Deo nimium angustis finibus cir-  
 cunscribatis: deinde quòd fidē illam, qua vna Chri-  
 stiani sumus, vel non nostis ipsi, vel ex hominū a-  
 nimis velletis esse extirpatam. Ac illud quidem per  
 singulas partes ostendimus: hoc autem, vcl ex colli-  
 quet, quòd vitæ correctionem, vnam esse dicitis ad

De statu anima-  
 rum post hanc  
 vicām.

Quæ sit fides  
 Christianorum,  
 & quod iter ad  
 Christum.

Christum viam. Quod si verū est, agè, Lex sola annuntietur, & de illa implenda simus solliciti: ut postquam nos ipsos emundauerimus, saniam & ualentes ad medicum ueniamus, qui ualetidinem nostram confirmet. Christum confitemur esse Dei Filium, mundi dominum ac iudicem, qui nos scilicet ex factis nostris uel auctus uel condemnet. De Evangelij & Legis discriptione, de gratuitate remissionis peccatorum, de iustitia Christi imputatione ne queratur quidem. Perinde enim id est ac si quereras uenturus ne sit princeps aliquis curru, an equo, rubro an albo uestitus. Quidus ergo de his rebus cuius sentire licet: nemine iudicemus, ne ipsi iudicemur. Pauli disputationes de his rebus ut non usque adeo cognitu necessarias, quum sine illis salvi facti sint publicani & meretrices, ut ad uitæ integratatem nihil facientes, immo uero unduces ad superbiam, sauitiam, ac persecutionem abili ciamus. Hac impietate quid tandem magis impium, aut diabolicum ipsæ vñquam inferorū portæ exhalarū? Nos igitur longè aliud iter esse ad Deum didicimus: æternā scilicet illam & gratuitā Dei dilectionē, qua nos in Christo ante mundi creationē elegit: qui nos in Filio dilectos quum adhuc inimici essemus, suo tempore Filio suo donauit: ad quem ut venire possemus, ipse nos Spiritu suo traxit, & ex no lentibus volētes fecit: qui Spiritus deinde cor illud contritū & animaduersione & cogitatione scelerū nostrorum humiliatū, in nobis creauit. Hoc igitur verum & vnu iter esse dicimus, quo ad Christū & per Christū, ad salutem peruenitur: nēpe ut per gratiam Dei intellecta morbi nostri magnitudine, ad medicum trepidi cōfugiamus, qui tamē prior nos nouit, & ad nos veniens, se medicum esse nobis per Spiritū suum aperuit. Neq; verò in eo gradu consistimus: quia parum est morbum suum, & quæ sit

Ephes. 1. a. 4.  
& 2. a. 4.

Rom. 5. b. 8.

Iohann. 6. d. 36.  
& c. 44.  
Galat. 4. b. 9.

1. Iohann. 4. d. 9.

ipius curandi ratio cognouisse, nisi medicina vta-  
ris. Hic igitur bonus ille & vnicus corruptionis no-  
stræ ad vitam æternam instaurator, cui à Patre da-  
ti sumus, & medicinam suam, id est seipsum nobis  
electis offert, & manum creat in nobis qua venien-  
tem ipsum amplectamur: fidem dico, gratuitū illud  
& perpetuum filiorum Dei donum, quo singuli fi-  
deles non modò vera esse fatetur quæ vos impii &  
blasphemi vt parū necessaria repudiatis, & ea quo-  
que recipiunt quæ vos ne nihil prorsus nobis relin-  
queretis) dixistis requiri, sed etiā (quod præcipuum  
est & solius Christianorum fidei propriū) ea omnia  
sibi ipsis applicant vt propriè ac peculiariter sibi  
destinata, huiusque fidei effectū esse vitæ correccio-  
nem re ipsa experiuntur. Itaque quanuis nemo ad  
Christum perueniat, qui non vitam emendet: requi-  
rimus enim eam scientiam & cognitionē cum qua  
fides, spes, & charitas perpetuo & indissolubili nexu  
cohærent: negamus tamē quod affirmatis, vitæ cor-  
rectionem iter ad Christum esse: sed potius quum  
natura oleastri sumus, fide nos prius inseri in oleam  
oportere, vt ipsius succo in nobis vim suam exeren-  
te, bonos fructus feramus: neque quia vitam corre-  
ximus, ideo ad Christum venire: sed contrà, quia  
Christus prior nos dilexit, ad nos venit, & in nobis  
est, & nos in ipso, idcirco nos vitia nostra ita agno-  
scere, vt in emédatione vitæ quotidie proficiamus,  
& semel iustificatos in dies augeſcente fide, in Chri-  
ſto adolescentes magis ac magis iustificemur. Quū  
igitur vultis vt ad religionis cognitionē cor mun-  
dum, id est (vt ipſi interpretaini) vitæ correccio-

2. Thes. 3. 1. 2.

Rom. 11. b. 17.

1. Iohann. 4 d. 19.  
Ephes. 4. c. 13.  
Apocal. 22. c. 11.

afferatur, atque ad hoc confirmandum affertis testi-  
monium illud, Beati mundo corde, quoniam Deum  
videbunt: primum omnium vel requiritis ab homi-  
ne quod praestare ipse non potest, id est ut prius  
quam credat, vitam emendet: vel Papistarum de li-  
beri arbitrii reliquiis dogma perniciosissimum in-  
stauratis, quum ad gratiae Dei & salutis cognitio-  
nem cor non mundum, sed a Deo contritum, & po-  
stea per fidem mundandum afferre nos oporteat:  
nisi forte vultis ut ad Deum accedamus, quia mun-  
di sumus, vel ut munditiem nostram perficiat, ac  
non potius ut nos (sicut ait Dauid) omnibus sordi-  
bus penitus contaminatos aspergat & lauet, ut Dei  
in Christo dilectio cognitionem nostram, cognitione  
fidem, fides sanctificationem ordine praecedat, sicut  
efficiens causa effectum. Quia scilicet ipse prior nos  
dilexit: & elegit, non quum sanctiessemus (sicut re-  
tinebat Augustinus) sed ut sancti essemus.  
Quanquam haec ita inter se conexa esse fatemur ut  
diuelli a se non possint, & unum ab alio quotidie au-  
geatur atque confirmetur. Deinde testimonium il-  
lad quod adhibetis, impudentissime a vobis detor-  
quetur: quoniam illic Dominus a gratuita mercede pro-  
posita (sicut alibi saepe) nos ad vitam puram adhor-  
tetur: neque eo quidem loco, Deum videre, sit Deum  
cognoscere, sed hereditatem caelestem cernere, quae  
pietate & innocentia viuentibus est Christi sanguine ac-  
quisita. Et vos tam foedè in religionis summa tra-  
denda hallucinari quisquam mirabitur, qui Scriptu-  
ram tam impudenter tamque imperite explicet?

Nam ut ad illud veniamus quod tertium esse di-

Psal. 51. b. 7.

Iohann. 4. b. 16.

Ephes. 1. 2. 4.

ximus, in vita innocentia describenda non minus  
 audaces & impudētes estis. Nam obsecro, quisnam  
 vobis vitam innocenter degere dicetur? Is nimirū  
 qui quum vnum Deum credat, & Christum mundi  
 dominum ac iudicem, omnibus prodesse studeat,  
 nemini nocere. Ex quibus principiis consequitur, si  
 Socrates, Aristides, Phocion, Fabricius, Cato, Atti-  
 cus id credidissent quod credunt diaboli, aut diabo-  
 li ita ut illi viuerent, vitam vtrisque aeternam debe-  
 ri. Atqui nos neque in his, neque in illis aut fidem,  
 aut vitam bonam reperire possumus. Nam quoad  
 fidem attinet, ea quum non sit nuda aut simplex  
 cognitio Dei, sed firmus assensus, per quem fideles  
 Christum sibi à Patre oblatum amplectuntur, fidem  
 istā neque diabolis, quibus promissiones non offe-  
 runt: neque Socrati & ceteris, quibus incognitus  
 fuit Christus: neque sceleratae vitae hominibus, in  
 quibus Spiritus Dei non habitat: neque falsis fratri-  
 bus, quorum fides & fidelitia est & temporaria, tribue-  
 re potestis. Vitam autem bonam quū eam demum  
 vocare didicerimus, quam Deus approbat: & sine fi-  
 de fieri non possit ut placeamus Deo, & ira Dei su-  
 per eum maneat qui Filium non nouit: nouit in-  
 quam, non ut diaboli aut infideles, sed ut soli electi  
 norunt, qui per Christum & iustificantur & san-  
 ctificantur. Nā qui dicit, Noui eum: & præcepta eius  
 non seruat, mendax est. Ex his conficitur, eos à qui-  
 bus fides illa abest, nihil aliud corā Deo quām pec-  
 care posse. Itaque Apostolus non simpliciter dicit  
 charitatem esse finē Legis, sed eam demum quæ ex  
 corde puro, & conscientia bona proficiuntur: dein-

Quæ sit innocē-  
 vita, & quo no-  
 do bona opera  
 sint estimanda.

1. Johan. 2.2.4, &  
c. 19, & d. 23.

Hebr. 11.2.6.

Iohan. 3. d. 36.

1. Johan. 2.2.4.

1. Tim. 1.2.5.

de verò quæ sit conscientia bona explicit quū ad-  
deret, Et fide non fīcta . Neque tamē Scipionem aut  
Catonem Catilinæ vel Neroni comparamus . vi-  
tiorum enim & virtutū discrimina , certosque gra-  
dus agnoscimus . Sed quū de ea vitæ innocentia  
agitur quæ Deo cōprobetur, ne in ipfis quidem iu-  
stificatorum operibus, nedum in philosophiæ præ-  
ceptis, sed in vnius Christi iustitia illud quæriimus,  
per quod opera approbētur: cui Christo postquam  
per fidem illam de qua diximus, ita sumus coniuncti  
vt vnum cum ipso efficiamur, tum demum fru-  
ctus ab hac radice exortos gratis & liberaliter pla-  
cere non dubitamus . Neque rursus istis operibus,  
quantunuis gratis, vlla ex parte nitimur, tanquam  
salutis nostræ materia : siquidē de ipso Abrahamo  
agens Apostolus, Si ex operibus, inquit, iustificatus  
est, habet de quo glorietur, sed non apud Deū . Quā-  
obrem multo minus id affirmare de his potestis  
qui ab Abrahamo tanto distant , quanto infideles à  
fideliū patre, id est infinito interuallo . Quæ quum  
ita se habeāt, & planum fecerimus verum Deum à  
vobis cum idolo confundi , religionis fundamenta  
funditus à vobis subuerti, integrum & innocentem  
vitam perperā definiri, à vobis denique ipsi Spiriti  
tui Dei, & omnibus sanctis Patrib⁹, piis Magistra-  
tibus, ac verbi Dei Ministris per simulationem cle-  
mentiæ apertum bellum indici: nemo non videt, o-  
pinor, tantum abesse vt sicut voluistis persuadere,  
isti quos iam inde à primis Ecclesiæ initiis omnes  
orthodoxæ Ecclesiæ pro hæreticis habuerūt, id cir-  
co puniendo non fuerint, quod de rebus parum ne-

cessariis disputatione: ut contrà & eorum memoria omnium bonorum odio & execratione digna sit, & Magistratus officiū postulet ut in vos qui Christianam religionē radicitus extirpatis, & illorum errores sepultos excitatis, seuerissimè animaduertatur.

*Secundum argumentum aduersariorum: Non esse puniendos hæreticos, quia controværia quæ tanto iam tempore agitatæ sunt in Ecclesia, non possunt decidi ex uerbo Dei scripto.*

Nunc ad alterum vestrum argumētum accedo, in quo non minor blasphemia, crassior certè impicitas quām in superiore apparet. Partim enim dicitis eas quæstiones de quibus hodie controværia est, obscuras adhuc esse, ne cdum certò conclusas: partim religionem obscurè nobis & ænigmaticè traditam esse. Ex quo efficitur (quod ait quidam ex vestris, quem quū alloquor, te ipsum Belli alloquor,) si quæ sunt in religioris negotio controværia, sequendum esse Iudeæ Machabæi consilium, qui quum de ara solidi sacrificij quid statueret non habueret, eius lapides in monte templi loco opportuno posuit, donec adueniret Vates aliquis qui de his oraculum referret. Aut potius Moses, cui disertis uerbis modò præceptum erat ut si quis contræ Legem data opera commisisset, is capite pœnas daret: Et tamen eum qui in die Sabbathi lignatus erat, interficiere noluit, nisi relato super ea re nominatim oraculo. Vel Gamalielis consilium. Vel Pauli, qui uetae ne alius alium damnemus. Vel Romanorum legem de vindicij. Quæso verò, cur hæc tantis ambagibus inuoluitis? Agè, palā & apertè dicite quod sentitis: Quia ab omnibus ignoratur quæ sit veritas, & Scripturæ tam obscuræ sunt ut ex his non possint controværia quibus tanto iam tempore exercetur Ecclesia, decidi, nemo est pro hæretico damnandus:

sed noua è cælis reuelatio expectanda, vel certè noua Scripturarum explicatio tam clara & aperta vt de ea nemo dubitare possit. Interim quod ad religionem quidem attinet, liberū cuique sit quod vollet, credere ac docere. At enim dicetis fortasse, hominum vitiositatem & impietatem, non autem Scripturam à vobis damnari, quam etiam nuper quidam ex vestris ita excoluit, vt iam non barbarè, vt antea, sed Latinè loquatur, tantū abest vt eam contemnatis. Ego verò sicut à vobis hæc dici fateor, ita etiam affirmo idcirco tantum dici vt simplicibus imponatis, idque ex vestra conclusione confirmo. Vultis enim in genere vt in controuersiis de religione, noua expectentur oracula: vt horū alterum inficiari non possitis, vel scilicet Scripturas à vobis vt obscuras ac non satis idoneas ad controuersiarum decisionē reiici, vel certè omnes omnium ætatum homines, atque adeò etiā ipsos Apostolos à vobis ignorantiae accusari: *quorum tempore* (inquit ille uester disertus Bibliorum interpres) si perfecta illa Dei cognitio ac pietas fuit, quæro cur tam parca fuerit, ac tam citò exoleuerit? Sin diat, Nostro tempore: mirabimur hanc pacem quæ ex uomeribus falcibusque nostris audat enses, et supellectilem domus conuertat in bombardas & propugnacula. Quòd si hoc concedere quām illud, malitis, dico vos in idē præcipitiū ruere. Nam qui Prophetas & Apostolos cæterosque à quibus utriusque Testamenti tabulæ per scriptæ sunt, ignorantiae accusat: non ipsos modò, sed etiam eorum scripta eiusdem criminis arguat necesse est, nisi furiosos eos fuisse vultis, qui ea scilicet tum dixerint, tū scriperint quæ ipsi nō intelliguntur.

gerent. Quamobrem etiam fortassis vester ille vir optimus non Prophetas, sed Vates eos appellat. Itaque quum à vobis dico Deum pro hominum ludificatore haberi, Scripturas autē re ipsa aboleri: neque vos calumnior, neque quicquā affingo: tantū apertè & simpliciter dico quod astutè & malitiosè dissimulatis. Sed operæ pretiū est videre quibus ad ducti rationibus tam impiū & pestilens hoc dogma audeatis affirmare. De *controversiis religionis*, inquit Clebergius, nondum certò constat: si enim constaret, disputari desisset, nec ullus tam insanus esset qui mori sustineret, quo rem certam negaret. Et alius quidam ex vestris, Profecto si uerum fateri uolumus, inquit, est adhuc nostrū seculum profundis ignorantiae tenebris demersum: cuius rei certissimum testimonium sunt tam graues, tam pertinaces, tam perniciose dissensiones. Egregiū Refutatio. certe argumentum: quia de intelligentia Scripturæ semper dubitatū est inter homines, idcirco non potest ex Scripturis certa quædā controversiarum decisio constitui, sed pendente lite vindiciæ dandæ sunt secundum libertatem, & expectanda noua Iudicis sententia, quæ controversiam dirimat. Dicite igitur quæso vos publicæ nō libertatis sed licentiae vindices, idcircōne nulla veritas est, quia plerisque semper fuit & erit incognita? Et si hæc ratio valet, quid tādem, non dico in diuinis rebus, sed etiam in humanis cōstituetis: Nam quid tandem est de quo ab aliquo non dubitetur: aut de quo inter omnes conueniat: Ergo quid superest nisi vt Academicam ~~q̄rat& am̄lia~~ renouetis, vt quasi desperata certi cognitione, id sequatur quisque quod verisimile videatur: Quod dogma quū ex diametro Christianæ re-

e.i.

ligioni repugnet adeò, vt non magis veritas à mendacio dissideat, nimirum si vobis credatur, religio Christiana funditus intereat necesse est. Quū enim ipsa nitatur solo Dei verbo, quisquis tā obscurum hoc esse vult vt ex eo controuersiæ religionis nunquam adhuc certò concludi potuerint, sublata verbī Dei firmitate, quo tandem fundamento nitetur Ecclesia? Imò verò illa ipsa nutent necesse est quæ vos sola nobis reliqueratis. Nā (obsfeco) si à verbo discesseris, vnde tu nobis vnū esse Deum æternū & omnipotentē probaueris, à quo mundus conditus administretur? Si dixeris, Ex rerum creatarū contemplatione: excipiam fallacem hanc esse & incertam, idque ex hac tua ratiocinatione colligam: neq; enim verū est quod affirmat Bellius, Omnes nationes vnum esse Deum fateri. Sed clamat etiamnū hodie tota Epicureorum natio per vniuersum mundum dispersa, vel Deum nullum esse, vel mundum non curare: & si peregrinationibus credimus, multæ adhuc sunt gentes quæ plures deos colunt: Peripatetici mundū esse æternum sibi persuadent: Stoici fato Deum suum subiiciunt: neque sunt istæ opiniones è mundo depulsæ, neque prius depellentur quam Christus mundū iudicabit. Atenim hæc testatur Dei verbū. Quid si de ipso verbo, nū verbum Dei sit, inter impios semper quæ sitū esse excipiam: quid si Manichæorum duos illos deos: quid si Valentini AEonas & similia portetā: nam & istos non dubium est Scripturā ad suos errores confirmádos adhibuisse. Iam verò quod ad Christū attinet, vnde tandem nisi ex Dei verbo Filium Dei esse, mundi de-

minū ac iudicē cognoscemus? Hæc enim nō modò  
 omnem humanū sensum superant, sed etiam ratio-  
 ni nostræ ita repugnant, vt rectè dixerit Paulus se  
 stultitiam Gentibus, Iudæis autē scandalum prædi-  
 care: & alibi sæpe hoc arcanū dicat ab omnibus se-  
 culis fuisse absconditum: quod quidem (vt ait Chri-  
 stus) nō caro aut sanguis, sed Pater cælestis reuelat.  
 Quomodo verò reuelat: Externa scilicet verbi Dei  
 prædicatione cor nostrū per Spiritum sanctū ape-  
 riēs. Quòd nisi ad hæc cōfirmāda & explicāda quæ  
 de Christo credimus, Scripturæ satis planæ ac per-  
 spicuæ sint, qd supereft nisi vt existimetis ista quo-  
 que de vno Deo, & ipsius prouidentia, itēmque de  
 Christo probabiliter tātū à nobis, nō necessariò di-  
 ci, quū de his rebus impii semper dubitauerint? De  
 cæteris autē rebus quid dicā: vt de iustificatione, de  
 libero arbitrio, de Baptismo, de Cœna Domini, de  
 inuocatione Sanctorum, quas vos decidi ex verbo  
 negatis posse, quum planis & perspicuis Scripturæ  
 testimoniis fuerint cōsignatae: nēpe hæc est licentia  
 quā captatis, vt (paucis tantum exceptis, quæ per se  
 inutilia sunt, atque etiam vacillant si vestram do-  
 ctrinam sequamur) quæuis portenta in Ecclesiam  
 Dei inuehere possitis, & pro fide opinionē, pro ve-  
 ritate verisimilitudinem, pro necessitate probabili-  
 tam Academicorū stabilire. Sed absit hoc à piis  
 omnibus qui non modò credunt, sed etiam intelli-  
 gunt quid credant, & parati sunt ad reddendam fi-  
 dei suæ rationem ex Dei verbo: qui denique pueri  
 sunt non sensibus, sed malitia: quíque propter assue-  
 tudinem, sensus habet ad discretionem boni & ma-  
 r. Cor. 1.c.23.  
 Ephes. 3.b.9.  
 Matth. 16.c.17.  
 Acto. 16.c.14.  
 1. Pet. 3.c.12.  
 1. Cor. 14.d.20.  
 Hebr. 5.d.14.

li exercitatos. Neque enim vel multitudo dubitan-  
tium, quæ semper erit & fuit maxima, vel dissidio-  
rum diuturnitas (est enim antiquissimū Dei cum  
Satanæ factione dissidium) efficere potest ut in reli-  
gionis causa nihil certi constitui possit: sed mundi  
potius cætitatē atque incredulitatē ista coarguunt,  
debentque fidelium diligentiam acuere, ut clarissi-  
ma illa & inextincta verbi Dei lampade accensa,  
bonum à malo, verum à falso distinguant. Deinde  
verò (nequid vobis de alieno largiar) inter quos tan-  
dem de ipsis controuersiis quas indifferentes esse  
vultis, tandem dubitatum est: Num in vera Dei Ec-  
clesia? Minime certe. habuit enim semper Deus ali-  
quam Ecclesiam, à qua vox ipsius non modò exau-  
diretur, sed etiam cognosceretur & intelligeretur:  
ita ut de his, sine quorum cognitione Ecclesia nulla  
esse potest, nunquam dubitarit: quia de his semper  
platè ac perspicuè Ecclesiæ suæ concionatus est,  
quod tamen post Christi aduentū multò id quām  
antè apertius fecit. Hoc tamē non nego, itinò potius  
in me ipso agnoscere me, Dei gratia, profiteor, certis  
temporibus & gradibus ipsos etiam electos ex qui-  
bus vera Dei Ecclesia construitur, à Domino voca-  
ri, & lucis Euangelicæ participes fieri. Sed aliud est  
in genere de vera Ecclesia loqui, cuius mēbra per-  
fecta iam sunt (quatenus quidē hīc hominibus per-  
fectis esse licet,) id est propter assuetudinē ad discre-  
tionē boni & mali exercitata, à quib⁹ scilicet cogno-  
scitur & intelligitur Euāgelii doctrina: aliud verò  
de singulis hominibus ex quib⁹ constat Ecclesia, in-  
ter quos multi sunt infirmi, multi imbecilli in fide,

multi etiā ignorantes, quos Dominus suo tempore perficit. Nā alioqui quomodo aut quo fructu Deus cum Ecclesia sua ad consummationem vsque seculi se futurum dicit: cur nobiscum loquens sese captui nostro tantopere accōmodauit? An vt quum verba popularia essent, restamen intelligi non posset? an vt tanquam altera Sphinx in soluendis ænigmatum nodis nos exiceret? Intelligi quidē Scripturas nisi Spiritu Dei docente non nego, eūmque Spiritū omnibus non dari. Sed num eum Christus solis Apostolis promittebat, à quo in omnem veritatem ducerētur, ac non potius toti Ecclesiae? Quòd si Spiritus Dei in omnem veritatem non ducit, eorum scilicet quæ cognitu prorsus necessaria sunt ad salutem, vbi tādem veritas est? & si nusquam est, quid aliud est Christiana religio quām vanū & futile somnium? Num verò mēdax erat Moses quum Israelitis diceret nihil esse cur ad exquirendā Dei voluntatē aut in cælum ascenderent, aut mare traiicerēt? Num furiosus Dauid, qui Legem, id est doctrinam Dei verbo comprehensam, testatur pedibus suis lucernā esse? Cur vero Paulus & Petrus ad hoc ipsum verbum nos reuocant quod ipsi annuntiarunt, si hoc tam obscurū est quām esse vultis? Cur Christus ipse doctrinam suam ex verbo scripto cōfirmat? & quidē sēpe citatis testimonijis qua' Iudæi etiamnum hodie calumniari non desinunt? Dedit Apostolos, inquit Paulus, I'astores ac Doctores, ne amplius circumferamur quolibet doctrinæ vento, aut ab hominibus eludamur, sed vera illa cognitione Dei illuminati, omnes simul in fidei unitatem

Esa.53.a.1.

Matth.13.b.11.

Iohan.16.b.13.

Deut.30.b.11.

Psal.119.105.

Rom.10.b.8.

1.Pet.1.d.25.

Ephes.4.b.11,  
&c.14.

Galat. i. b. 8.

2. Thes. 2. b. 8.

Esa. xi. a. 4.

2. Tim. 3. d. 16.

Acto. 18 g. 28.

occurrāt. Cedò verò, cuius rei doctores certè Euangelii, præter quod si quis aliud prædicauerit, anathema sit. Quòd si hoc Euangelium Pauli primùm vox sic est prædicatum, deinde verò manu sic est per scriptū obscurè & ænigmaticè, vt sicut vos Epicurei dicere soletis, instar cerei nasi huc & illuc fleati possit, neq; necessariis quæstionibus explicādis (curiosas enim omitto) de Deo, de Trinitate, de Christi statu & officio, de Angelis, de Statu animarū post hāc vitam, de Prædestinatione, de Libero arbitrio, de Iustificatione, de Sacramentis, de Sanctorum invocatione, & (vt alia adiungam quæ scientes & prudentes prætermisistis, ne Papistas, quibus iam pridē adulamini, offenderetis) de Missa, de Purgatorio, de Indulgētiis, de Primatu Papæ, de Peccato originis, de Cultu imaginum, de Cōfessione, & cæteris adulterinis Sacramentis: vt inquā, his & similibus quæstionibus explicādis non sufficient, quomodo non mendax erit Paulus? perinde enim faceret acsi postularet vt arundine niteremur, ne fluctuare deinceps & vacillare possemus. Cur autem idem ille fore testatur vt Spiritu oris Dei cōficiatur Antichristus: Quē locum si de verbo Dei scripto post Esaïā intelligitis, cur ex eo controversias decidi posse negatis: Sin de alio quopiā, cedò quod illud sit, ostendite. Nam quod ad nos attinet, de eo verbo hæc scripta esse credimus, quod quum sit diuinitus inspiratum, utile est ad doctrinā, ad redargutionē, ad correctionem, ad institutionem quæ est in iustitia; & quo vult Paulus instructos esse Pastores, non modò vt appositi sint ad docendum, sed etiam (quod de A.

pollo scribitur) contradicentes coarguant. Quam-  
 obrem etiam Ecclesiam columnam veritatis appellat . Denique ut finem de hac re dicendi faciam , si  
 Deus extremis temporibus tam obscurè & ænigma-  
 ticè per Filium suum locutus est, cur iubet ut eum  
 audiamus ? quomodo ex verbi auditu fides nasce-  
 tur? Atque ut vno verbo transigam, aut mendacem  
 esse Paulum oportet, ( quod absit) quum inquit nos  
 mentem Christi tenere: aut (quod verum est) vos es-  
 se impios & blasphemos, nisi fortassis ostenderitis  
 alio modo quām per verbum scriptum solere Spi-  
 ritum sanctum Ecclesiam Dei docere , quod nemini  
 ni nisi penitus insano persuaseritis. Cedò igitur, à  
 quibus semper dubitatum est : nempe ab iis quos  
 Deus sicut Pharaonē indurauit, vt in eis potentiam  
 suā declareret: ab iis quibus Deus huius seculi oculos  
 excæcauit , vt videntes non videant , & audientes  
 non audiant : ab iis qui volentes veritatem igno-  
 rant : denique respondemus vno verbo cum Pau-  
 lo, Si adhuc velatum est Euangeliū, in his de-  
 dum velatum esse qui pereunt: & istos quidem in  
 Ecclesia saepe permixtos esse fatemur, quum ipse  
 Antichristus in templo Dei sedeat . Sed ut in Ec-  
 clesia sint, ex Ecclesia tamen non sunt. Quænam  
 igitur hæc est impudentia, ex eo conuellere do-  
 gmatum Christianorū veritatem , propterea quòd  
 à nonnullis nondum satis firmis, ad tempus de his  
 quæri soleat, ab incredulis autem & impiis semper  
 dubitari? Sed miratur Clebergius cur de his disputa-  
 ri non desierit, existimátque nullum esse tam stul-  
 tum qui mori sustineat ut rem certam neget. Atqui  
 e. iiiii.

1. Timoth. 3. d. 15.

Hebr. 1. a. 2.

Matth. 17. a. 5.

Rom. 10. d. 17.

1. Cor. 2. d. 16.

Exo. 9. b. 16.

2. Corint. 4. a. 4.

Ibidem 4. a. 3.

2. Thes. 2. a. 4.

bone vir cogitare debueras nūquam defuturos qui  
in manifesta veritate cæcutiant, quique vel odio, vt  
illi qui Christum dicebāt dæmonia præsidio Beel-  
zebūd eiicere: vel ambitione, vel libidine, vel inui-  
dia, vel Dei iudicio excæcati, & diaboli laqueo irre-  
titati, controuersias de rebus certissimis & clarissimis  
excitent: & adeò quidem acres, vt earum causa vel  
mortem subire non dubitent. Quòd si mihi non  
credis, crede omnium seculorum experiētiæ. Quid  
certius est quām Christum esse Deum, vel ipso  
incredulo Thoma teste: & tamen ( vt de hypocritis  
nihil dicam) paucissimi semper homines hoc credi-  
derunt, si cum reliqua multitudine comparentur.  
Quot verò Iudæos cōperies pro suo Messia ad mor-  
tem subeundā paratos, quot Papistas pro sua trans-  
substantiatione, quot Mahumetanos pro Mahume-  
de: atqué (vt vetera omnia exempla præterea) ex-  
crandi illius Serueti recens exemplū ostendit quan-  
tum inueterata pertinacia valeat. Quid certius futu-  
ra resurrectione: & tamē (vt de Sadducais & Epicu-  
reis nihil dicā) Philetus & Hymenæus iam factam  
esse dicebant, quos hodie sequuntur Libertini. Adul-  
teria, homicidia, furta, latrocinia an propterea pu-  
nienda non esse dices, propterea quòd Anabaptistæ  
vñores faciunt communes: reuelationibus suis ho-  
mocidia excusant: priuatum rerum dominium tol-  
lunt: & pertinaciter in his erroribus moriuntur: Ha-  
bet enim, si nescis, etiam diabolus suos martyres, vt  
recte docet Augustinus de Circuncellionibus lo-  
quens, quibus præter causam omnia sunt cum Dei  
martyribus communia: neque tamē propterea, aut

Matth. 12. b. 24.

1. Tim. 3. b. 9.

Iohann. 20. g. 28.

2. Tim. 2. c. 18.

Christiana dogmata incerta esse, aut certa esse dia-  
boli commenta tibi vñquam cōcedemus. Quid au-  
tem bonus ille Serueti fraterculus: si *unus spiritus est*,  
inquit, *et una ueritas, omnes in quibus idem spiritus inest, idē*  
*sentire neēesse est spiritualibus in rebus.* Certè tibi in eo af-  
fentior bone vir: & hoc dico, veritatem ipsam à te  
inuito extorsisse vt tuo gladio iugulari posses. Nam  
Catholica Ecclesia Dei (quia vno & eodem Spiritu  
agitur) vno & perpetuo consensu idem semper sen-  
sit de præcipuis his capitibus, quæ cōtrà quām op-  
inaris, Christianismi summam complectuntur: in  
quibus quia cum Ecclesia tanto iam tempore non  
consentis, & alios præterea conaris omnibus mo-  
dis à vera fide abducere, ideo te serue nequā ex ore  
tuo Scriptura iudicās, hæreticum cum alba tua ve-  
ste, id est malitiosè errantem & factiosum esse cla-  
mat: vtinam ne immedicablem. Debuisti verò, vt  
ad rem accedam, spiritualiū, id est fidelium gradus  
quosdam constituere. Nam hoc tibi concedo, quia  
nondī nos totos occupat Dei Spiritus, & peccatū  
in nobis regnare quidem, sed habitare non desit:  
quia, ihquam, qui cognoscūt, nondum nisi ex parte  
cognoscunt, multū adhuc caliginis & ignoratiæ in  
quibusvis hominib⁹ superesse: sed quod antè dixi,  
iterū dico, Deū scilicet tā perspicuè Ecclesiæ suæ lo-  
qui, tātūmq; lucis illi impertire, vt de his rebus qua-  
rū cognitio in Ecclesia necessaria est, tā certa sem-  
per & perspicua doctrina in Ecclesia fuerit, quām es-  
se oportuit vt vera Ecclesia esset. Nā ea in quibus ii-  
etiā interdum dissidēt in quibus iam Christus ado-  
leuit, sunt semper eiusmodi, vt quam salua maneat

Rom.7.d.23.

1.Cor.13.c.19.

religionis summa, diuersæ opiniones diuersas Ecclesiæ non faciat. Quinetiā longius progredior, vt ad dilemma illud tuū respondere perga, quo tu nos irretire voluisti. Dico enim & Apostolorū tēpore, & omnibus quæ intercesserūt ætatibus plenitudinē illam Christi capit is in mēbra exundasse, adeò quidem vt deterrimi etiam homines interdum intelligentiæ magna luce sint donati, vt inexcusabiles essent, & ostenderet Deus quām immensa & infinita sit sua potestas, qui hostes etiam suos quoties libuit in Ecclesiæ ædificium operam suam cōferre cogat. Idque ita esse vel ex eo liquet quod inquit Dominus, fore vt seruus qui domini voluntatem nouit, neque tamē facit, multis plagis vapulet: vt aliquos existere necesse sit qui aliis non sibi voluntatē Domini teneant. Distingui enim debent intelligentia & fides, ita tamen vt qui hanc statuat, illam quoque necessariò ponat, non contrà: quia fides ex auditu est prædicati verbi: & auditu quidem eiusmodi vt ~~παροφοείας~~ gignat, & doctrinam vniuersaliter oblatam, singulis electis applicet. Intelligētia verò quāuis & ipsa non sit à natura, ( Homo enim animalis non intelligit quæ Dei sunt,) tamen inter ea dona recensetur quæ interdum etiam impiis & reprobis certas ob causas Dominus impertit. Quod igitur vitiositatem hominum & improbitatem dicis obstatulo esse quominus Scripturæ intelligātur, nisi commodis distinctionibus leniatur, falsissimū est. Nam in ipsis etiam electis quādiu hīc versantur, vi tiositas illa & improbitas nativa nunquam prorsus extinguitur, quanvis non imputetur: neque tamen

Luc. 12. f. 47.

Rom. 10. c. 17.

1. Cor. 2. d. 14.

ea res impedit quomodo mentem Christi teneant,  
 quatenus quidem ad salutem suam expedit. Dein-  
 de etiam in ipsis sceleratissimis hominibus aliqua  
 etiam est interdum ( quanquam quoad ipsos atti-  
 net inutilis & infructuosa ) rerum ad salutem per  
 fidem obtainendam necessariarū intelligentia & co-  
 gnitio . tantum abest ut obscuritatem illam verbi  
 Dei, & diabolicā tuam ~~et te a me~~ tibi concedamus.  
 Neque verò dignus es cui respōdeatur, quum quæ-  
 ris cur exuberās illa cognitio quam Prophetæ pro-  
 miserant, si Apostolorum tempore fuit, tam parca  
 fuerit, & tam citò exoleuerit. Tantam enim lucem  
 semper habuit Ecclesia, quanta opus fuit: & tempo-  
 ra ac momēta quibus modò triūphare, modò pror-  
 sus deiici & opprimi videtur, nostrū non est metiri.  
 Atque quod ad rem ipsam attinet, id est ad eas Pro-  
 phetias Esaiæ, Ezechieliæ, & Malachiæ, & Apocaly-  
 pseos, quas nondum impletas esse vis , primū om-  
 nium respōdere possem te ineptè facere, qui pro-  
 pterea quòd quædam prædicta sint quæ nondum  
 euenerunt, idcirco postules ut de nullis religionis  
 controversiis sententia feratur, sed noua aliqua Iu-  
 dicis sententia expectetur . Sed longè aliud habeo  
 quod respondeam. In primis enim , etiam ut rum-  
 paris, in eo falleris quòd quæ spiritualiter intelli-  
 genda sunt, id est de fera illa. nostra natura per ver-  
 bum Dei cicurata, & regno Dei ex varii ingenii ac  
 variarum & inter se inimicarum gentium ciuibus  
 composito, ea tu crassè & Iudaicè exponenda putas,  
 ideoque quæris ecquando sit Christus regnum il-  
 lud Israël restituturus, quod scilicet Virgilius AE-

Isa.11. & 60.  
 Ezech.36.  
 Malach.4.  
 Apoc.20.

A&O.1.1.6.

gloga decima pulcherrimè descripsit. Deinde (quod omnes norunt qui in Prophetarum lectione sunt versati) saepe solet regnum Christi à Prophetis describi, non quale singulis erit momentis & temporum articulis, sed quale futurum est in sua (ut ita dicam) plenitudine, quæ quidem nūquam in hoc mundo existet: nisi fortassis Chiliastrarum, & Anabaptistarum, & Rabbinorum somnia sequi mauis, quām Christi de suo regno vaticinum, quod tamen frequerter in ore habetis. Quid enim Christus? Regnum meum, inquit, non est de hoc mundo. & alibi, Non veni ut pacem mitterem in terram. Taceo quod lapis offensionis dicitur, & signum cui cōtradicitur, quod ubique crucem & patientiam suis annuntiat. Neque hæc sunt vnius temporis aut ætatis, quum prædicet se ut furem venturum in iudicium, & eō tempore fidem in terra non reperturum. Quæcūque igitur eximii illi Prophetæ de summa illa & perfecta Ecclesiæ pace prædixerunt, spiritualia sunt, & ad veros filios Dei tantum pertinent. Deinde futurum Ecclesiæ statū respiciūt, qualis futura est quā domitis omnibus inimicis Christus regnum Patri tradiderit, ut sit Deus omnia in omnibus. Interim hanc felicitatem Ecclesia vel in mediis afflictionibus degustat, patienter tempus illud expectans quo non amplius per speculū cernet in ænigmate: quod tamen Pauli dictum comparatè intelligendum est, habita futuræ manifestationis ratione. Ergo ut tandem hoc vestrum argumentum concludam, neque verum est cōtrouersias de religione nondum satis certò esse conclusas, & ex verbo Dei decidi non pos-

Iohan. 18. g. 36.

Luc. 12. g. 51.

Luc. 1. c. 34.

1. Thes. 5. a. 2.

Luc. 18. b. 8.

2. Cor. 15. d. 28.

3. Cor. 13. d. 12

se , neque de his rebus suspendi iudicium debet, aut noua Iudicis sententia expectari , sed ex verbo Dei scripto mēdaciūm à veritate adhuc distinctum est, & semper est distinguendum : vos autem ac omnes vestri similes qui istam impiam,sacrilegam & diabolicam *āxa tānq̄ias* conamini in Ecclesiam inuehere, vt religionis Christianæ capitales hostes coērcere ius & fas est.

*Tertium argumentum: Ab exemplo Iudæ Machabæi.*

Sed tempus est vt ea quoque exempla exponamus , quibus abutimini ad vestrū confirmādūm consilium de hæreticis ante nouam Iudicis sententiam non attingendis . Primum igitur est Iudæ Machabæi , qui de ara holocausti quum quid statueret, non haberet, eius lapides in monte Templi loco opportuno posuit, donec adueniret Propheta quispiā qui de his responderet. Nos verò primū omnium istius libri auctoritatem meritò repudiamus ad statuendū aliquod vel dogma vel exēplum quo teneri possimus: deinde verò ne idoneū respōsum nobis deesse putes, res dissimillimas dicimus à te compatari. Vetus holocausti altare quū pollutū esset, à Iuda deiicitur : deieicti lapides seorsim collatūr, & oraculum expectatur: quia nimirum quid de his fieri vellet Dominus , in Lege non edixerat. Inde verò quid aliud colligere potes quām in cultu Dei nihil sine verbo aggrediendum? In ea igitur causa de qua hīc agimus, quū Dei verbum ac mandatum expressum habeamus, quo iubētur blasphemiatæ puniri: & præterea (vt antè ostendimus) præcipuum hoc sit Magistratus officium, curare vt pec

*I.Mach. 4.c. 46.*

*Refutatio.*

cata in primā Tabulam vindicentur, quōrum nō  
bis hoc Iudæ factum proponis, quasi verbum Dei  
vel nullum, vel non satis expressum habeamus ad  
controversias religionis decidendas.

*Quartum argumentum: Ab exemplo Mosis.*

**Num. 15. c. 30. &**  
**deinceps.**

**Refutatio.**

Alterum exemplum est Mosis, cui quum paulò  
antè præceptum esset vt si quis contra Legem data  
opera commisisset, is capite pœnas daret, tamē eum  
qui in die Sabbathi lignatus erat, interficere noluit,  
nisi relato super ea re nominatim oraculo. In hoc  
autem exemplo dupli ratione hallucinaris. Pri-  
mū quia pro eo quod tu Dedita opera, interpre-  
taris, Hebræa veritas habet In manu excelsa: quem  
hebraismū, vt multos alios, temerè & audacter cor-  
rupisti. Putasti enim peccata quæ in manu excelsa  
fierent, ita opponi his quæ per errorem committun-  
tur, vt nihil sit medium: vt duobus tantū modis  
Lex violetur: uno quum imprudentes, altero quum  
dedita opera, hoc est sciētes & prudētes peccamus:  
quam diuisionem, etiam si vera sit, tamē Moses hoc  
loco non sequitur: id quod apparet ex eo quod pœ-  
na capitalis hac Lege in eos omnes cōstituitur qui  
in manu excelsa peccauerint: quod si interpreteris  
de his omnibus peccatis in quibus malus animus  
interuenerit, nullum non erit legis aut politicæ aut  
moralis, aut ceremonialis caput capitale: vt de Deo  
verè dici possit quod olim de Solone, ipsum scili-  
cet sanguine non atramento leges scripsisse. Itaque  
pecuniariæ multæ, & aliæ pœnæ non capitales ple-  
risque legibus additæ, ad eos tantū pertinerēt qui  
errore peccassent, quod falsissimū esse præterquam

quòd nemo non videt, ita etiam liquidò cōstare po-  
 test ex eo loco, in quo eorū etiam peccatorum ex- Levit.6.44.  
 piatio describitur, in quibus fraus & vis interuenit.  
 Quid igitur? nempe illic nō suscepit Moses omnes  
 violādæ Legis species explicādas, sed duas tātūm:  
 vnam scilicet quum per errorē vel incogitantiam  
 peccatur: alteram verò quū quispiam in manu ex-  
 celsa peccat, id est, vt recte vulgatus interpres vertit,  
 per arrogantiā: aperto scilicet Dei despectu & con-  
 temptu. quod scelus quū potius diabolicū sit quām  
 humanū, non mirum est capitali supplicio puniri,  
 etiam si alioqui in re minimi momenti peccatū fit.  
 Tunc enim verè ipsa Dei maiestas vel in re mini-  
 ma cōtumeliosissimè violatur. Quòd si vel auari-  
 tia, vel libidine, vel odio, vel necessitate impulsus,  
 cuipiā sciens ac prudens iniuriā feceris, noua iam  
 violādæ Legis species nascitur, de qua hīc non agit  
 Moses. Quanuis enim hoc à te fieri nō possit quin  
 Deum cōtemnas, id est tanti non facias quanti à te  
 fieri oportebat: quia tamē Dei ipsius odio non pec-  
 cas, de quo fortassis etiam mens cupiditatibus ebria  
 nihil cogitauit, idcirco in proximū aut in Rempu-  
 blicam potius quām in Deū peccasse diceris: ideō-  
 que pro iniuriæ & criminis grauitate diuersæ pœ-  
 næ sancitæ sunt. Quum igitur is qui Sabbathum  
 violarat, hoc scelus vel necessitate, vel aliqua ratio-  
 ne potuerit admisisse, fieri etiam potuit vt hac lege  
 nō teneretur. Sed ne me putas tergiuersari, quia sci-  
 licet alia perscripta lex est in eos qui Sabbathū vio-  
 lassent, qua non dubium est quin iste teneretur: re- Exo.31.14.  
 spondeo idcirco esse in carcerē coniectū, non quòd

**Leuit. 24.c.12.** dubitaret Moses quin capite puniendus esset, sed quod de genere supplicii ambigeret, quod scilicet in ea Lege non fuerat explicatum. Sicut etiam aliquando idem Moses in damnando alienigena blasphemio Dei oraculum requisivit, quod de eo facto nullam adhuc legē Dominus scripsisset. Nam alioqui Moses, si præter Dei verbā expressum, nouum aliquod Dei oraculū requisisset, sicut vos illum fecisse vultis, magnam certè maiestati Dei iniuriam fecisset. Quorsum hoc igitur profertis ut iudicia hæreticorū tollantur, perinde acsi de religionis controversiis nōdum liqueret? Imò verò quis tam cæcus est ut hinc effici non videat, si nefas fuit illi parere qui ceremoniale Sabbathi legem cōtempset, multò min' esse hæreticos *avocatopītēs* impunē tolerādos? Sed de hoc aliās, quum his ipsis argumentis vtemur quae vestra nobis suppeditauit insania.

*Quintum argumentum: Ab autoritate Gamalielis.*

Ad Gamalielis cōsilium venio, quem hominem vos soletis (ut audio) tanquā clypeū opponere, quia scilicet de Apostolica doctrina nō aliter quām Gamaliel sentitis, dubiè nimirū ac hæsitanter: quāquā illi certè melior & integrior quām vobis conscientia fuit. Respódeo autem illius verbis cuius scripta si tam legisses diligēter quām securè soles contemnere, non ita fœdè in multis esses hallucinatus. Ga-

**Acto. 5.f.34,  
& deinceps.**  
**Refutatio.**  
**Calvinus  
Commēta-  
riis in ca. 5.  
Acto.**

„ maliel (inquit ille) quia ambigit quid rectū sit, quasi „ cæcus in tenebris neque huc neque illuc se conferre „ audet, sed suspendit sententiam. Interim ex veris „ principiis malam consequentiam elicit, nempe ni- „ hil adhibendum esse consilii, quia Deus quod suum

est tuebitur : quod autem ab hominibus est, pessum  
 ibit. Atqui Dominus tametsi vnicus sit agricola,  
 mittit tamen operarios in vineam suam : tametsi  
 solus det incrementum, tamen vult esse qui plantet  
 & rigent : tametsi Templi sui sit architectus, mini-  
 stros tamen & opifices sibi adiungit, qui in hoc ædi-  
 ficium laborent. Denique tametsi defensor sit ope-  
 rum suorum & vindex, hominibus tamē vtitur mi-  
 nistris. Vos igitur, quandiu libebit, Gamalielis con-  
 filium vt cæleste & diuinum efferatis : nos Paulo  
 adhærebimus, qui anathema esse vult eos qui aliud Gal.1.2.8.  
 Euangeliū prædicarint. Neque frustrè Ecclesiam  
 Thyatiræsem à Spiritu sancto reprehedi putamus, Apoc.2.1.20.  
 quòd Iezabelem, quæ se prophetissam dicebat, do-  
 cere permetteret, & seruos Dei seducere.

*Sextum argumentum : A Pauli authoritate.*

Similis impudetia vestra est in explicando Pau-  
 li loco, in quo ita præcipit: Siquis imbecilla fide est, Rom.14.2.2.  
 inquit, assumite. Et paulò post, Tu quis es qui iudi-  
 cas de alieno famulo? suo domino stat, aut cadit. Ibidem 2.4.  
 Item, Tu verò cur tuum fratrem iudicas? aut etiā tu  
 cur nihil facis fratrem tuū? Et rursus, Ne posthac  
 aliis aliū iudicemus. Quæ omnia quām impro-  
 bè à vobis ad hāc causam detorqueantur, facile in-  
 telliget quisquis scopū Pauli cōsiderabit. Primū  
 enim non de hæreticis, quos alicubi canes & cōciso  
 nem vocat, sed de imbecillis in fide disputat, qui ad-  
 huc in Legis elemētis per infirmitatem hærebant.  
 Nos autē de hæreticis agimus: id est malitiosè errā-  
 tib, factiosis, & desperatis. Præterea de potu & esca,  
 id est de rebus mediis Paulus illic differit, quod vos  
Philip.1.2.2.  
Ibidem c.13.  
Refutatio.

f.i.

astutè præteritis. Nos autē de ipsa religionis substatia ipsiusque præcipuis capitibus, quæ vos impiè & blasphemè in rebus indifferentibus numeratis. Deinde quo tempore hæc à Paulo scripta sint, considerare operæ pretium est: in ipsis nimirum prædicati Euangelii velut initiis, quo tempore cōcedendum aliquid fuit eorum infirmitati qui ex Circuncisione crediderāt. Cum istis autē quid tādem commune habent hæretici, de rebus expresso verbo Dei comprehēsis, & nostra etiam memoria tam copiofē ac luculenter explicatis, pertinaciter ab Ecclesia Dei dissidētes? Postremò apud Paulum & hoc loco & alibi, priuata & temeraria iudicia prohibentur, quibus scilicet proximū ob rem aliquā leuiculam non charitate, sed curiositate quadam vel odiosē ac sinistrè velut à Deo reiectum damnamus: quem animi morbum Christus etiam acerrimè reprehēdit. Nos autem de publicis iudiciis agimus tum Ecclesiasticis, tum ciuilib⁹, in quibus Deus ipse iudex sedet: quæ si quis sustulerit, non modò nulla Ecclesia, sed ne Respublica quidem salua poterit cōseruari. Quinetiā priuata ipsa iudicia quadāten⁹ necessaria sunt, ut charitatis officia homines inter se exercere possint. Nā & arborē docemur ex fructib⁹ aestimare, & quos errare iudicauerimus, blandè, quoad eius fieri poterit, in viā reuocare: tantū abest ut publico-

August. lib. 2. de sermone in mōte Domini, Lib. 10. confes. cap. 23

*septimum argumentum. A descriptione charitatis.*

Ad aliud argumentū venio, valdè profecto eru-  
ditum, & vestra dignum officina. Charitas, inquit

Apostolus, multitudinē tegit peccatorum : omnia  
 tolerat, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet: „ 1.Petr. 4.b.8.  
 ergo docendi non puniendi sunt hæretici . O egre- „ 1.Cor. 13 b.4.  
 gios charitatis patronos! Quid ergo supereft nisi vt Refutatio.  
 Magistratus charitatem etiam violet quum furem  
 non sustinet: quum falso testi non assentitur : quum  
 mutādæ vitæ ſpatium adultero non relinquunt? Sin-  
 autem iſta cum charitate non pugnant, immo verò  
 iudex qui in eiusmodi homines non animaduertat,  
 ciues ſuos charitate non profequitur: certè charita-  
 tem ita definiatis necesse eſt vt non gaudeat iniuſti-  
 tia, ſed veritate lætetur : quod ipſe quoque Aposto-  
 lus patulò antè expreſſit : deinde ut cum Ambroſio  
 agnoscatis quandam eſſe iniuſtam misericordiam,  
 quum in Lege ſcriptū ſit, Non miſereberis illius: &  
 cum Auguſtino fateamini aliam eſſe charitatē ſe-  
 ueritatis, aliam mansuetudinis . Nam vna quidem  
 charitas eſt, ſed diuersa in diuersis operatur, ut reſtē  
 docet ſanctiſſimus ille vir aduersus Parmenianū, Lib.3.  
 hanc eandē cauſam agens. Odium & Charitas op-  
 poſita ſunt: vtrunque tamen à Domino præcipitur:  
 quædam igitur odiſſe, quæda amare debemus : id-  
 que in genere Dominus oſtendit, quum inquit, O-  
 dio habete iniuſitatem, & diligite bonū : ſiquidem  
 & ipſe Dominus diligit iuſtitiam & odit iniuſita- Amos 5.d.15. 1  
 tem . Quamobrem aut nobis oſtendite malos non  
 eſſe hæreticos, aut hāc veſtrā charitatem non Chri-  
 ſtianam, ſed diabolicā eſſe ſcitorē : ſicut inter latro-  
 nes non amicitia, ſed coniuratio eſt. Quòd ſi malos  
 eſſe negaueritis, cur abſcindī optat Paulus : cur ſuo  
 ipſorum iudicio dicit eſſe condemnedatos : cur con- Psalmo 45.b.8.

1.Timo.4.2.2.

1.Cor.5.d.11.

scientiam ipsorum cauterio amputatam? cur adeò  
 vitandos esse monet, vt ne cibum quidem cum illis  
 capias? Quid igitur? cur istis elogiis à Paulo chari-  
 tas ornatur? Minime certè vt pars illa iustitiae qua-  
 de sceleratis sumitur supplicium, à Christianismo  
 remoueatur, sed potius vt iudices bonorum amore,  
 & vitiorum odio non hominum, facinorosos pu-  
 niant: neque vt seueritas iudiciorum eneruetur, sed  
 nequid præcipitanter aut prauo affectu gerant: ne-  
 que vt in rebus profanis ac multò minus in Sacris  
 tolliatur diligens rerum inquisitio, & spirituum di-  
 screcio, sed ne suspicionibus indulgeatur: ne imbe-  
 cillos & infirmos cum malitiosis, factiosis, & præ-  
 fractè contumacibus confundamus: ne inter ipsos  
 etiam improbos nullum statuamus discrimen: de-  
 niique vt quantum persona & res ferunt, omnia in  
 primis ad Dei gloriā, & Ecclesiæ conseruationem,  
 deinde etiam ad proximi salutem publicè ac pri-  
 uatim à nobis referantur. Quorsum autem hoc ad  
 impunitatem vestram stabiendiā? Apage igitur  
 apage istam non charitatem, sed crudelitatem extre-  
 mam, quæ vt paucis quibusdam lupis parcatur, to-  
 tum Christi gregem prædæ exponendum censet.  
 Vigilate potius fideles Magistratus, & verbi Mini-  
 stri, vt albos istos lupos in gregem Domini inua-  
 dentes, procul abigatis: atque adeò, quoties id postu-  
 larit vel sceleris vel periculi magnitudo, gladium  
 vobis à Deo ad dignitatē suam vindicandam tra-  
 ditum, fortiter & cōstanter Mosis illius alioqui cle-  
 mentissimi hominis exemplo, pro gregis salute, in  
 ista hominū mōstra exeratis, vt verè Deo seruiatis.

Exod.32.5.27,

Psalmo.2.c.11.

**O**ctauum argumentum: *Quia Christiani mites & clementes esse debent.*

Aliud argumentum aggredior cum superiore prorsus cōiunctū. Solent enim isti clementiæ & sanguinis se patronos dicere, nos contrā carnifices, sanguinarios, persequutores vocare: neque etiam verentur (vt sunt omnium hominum impudentissimi) eos ipsos quorum clementiam experti sunt, horum criminū maculis aspergere. Deinde quæcunque pro lenitate & clementia aduersus persecutio[n]es in verbo Dei scripta sunt, in nos detorquent. Quinetiam Monfortius ille non minus ineptus p[re]tor quam imprudens scriptor, vt se probet ecstatis spiritu correptum, signa, tesseras, scuta, baltheos, thoraca, caligas, gladios pingit, instar scilicet Phormionis illius quem merito ridebat Hannibal: vt mirum sit tam militarem esse posse clementiæ ac pacis patronum. Clebergius autem lepidum hominis caput, aduersus umbram suam disputās, suum illud, O Deus, ingeminat: & bellam nobis divisionem fabricat. Contendit enim omnes qui in causa religionis alios persequuntur, id est puniunt, hoc vel propter inuidiam facere, vel propter ambitionem, vel propter avaritiam, vel propter Dei studium cum ignorantia coniunctū: & postea colligit cæteros malitia peccare. Deinde mira contorquet enthymemata, quæ idcirco descripti ut omnes intelligent cuius spiritus sitis.

1 Nolite timere pusille grec, ego mitto uos sicut oves in medio luporum. Potestne pusillus grec persequi magnum gregem, aut ouis lupum?

2 Mundus gaudebit, uos autem plorabit. Vtri gaudent? nonne persecutores? Vtri plorant? nonne qui persecutionem patiuntur?

3 Beati f.iii.

estis quum uos persecuti fuerint homines. Quomodo erimus beati,  
 si ipsi alios persequemur? 4 Qui uult uenire post me, tollat  
 crucem suam. Quomodo post Christum ibimus, si ipsi alijs crucem  
 imponamus? 5 Leæna lupū et ouē persequitur, lupus ouē non  
 leæna persequitur, quis est ultimā: tā: patitur, tā: prodeſſe ſat,  
 non noſtre, nihil enim habet in rafe. O mirificē mansuetū  
 & clementem! quinetiam furum & homicidarum  
 supplicium ut crudele reprehendit. Sic enim argu-  
 mentatur: 6 Quisquis Iesum credit esse Christum, et ue-  
 nisse in carne, is natus est ex Deo. Ergo quisquis interficit hominem  
 qui credit Iesum esse Christum, interficit hominem natum ex Deo.  
 Egregium ſanè argumentum, præſertim ſi cognitionem Christi ex iſtorū doctrina metiamur. Quid  
 plura? 7 Quisquis, inquit, persequitionem patitur propter  
 fidem, is aut recte ſentit, aut errat. Si recte ſentit, non debet laedi.  
 nam si Christus hiſ à quibus crucifigebatur ueniam orauit, quia er-  
 rabant, quanto magis hiſ qui pro eo ſe crucifigi uoluerint? Et ſi Lex  
 Moſis hiſ ueniam dat qui aliquem per imprudētiā interficerint,  
 quanto magis hiſ qui per errorē ſe interfici uoluerint? Quæſo te,  
 Lector, quid eſt iſtanire ſi hoc non eſt? Ecquis enim  
 eſt tam iſtanuſ qui ſimplicem errorem ab affectata  
 ignorātia non diſtinguat? Ecquis tam imperitus  
 rerum, qui non vidcat hoc modo omnibus quan-  
 tumvis portentofis & impiis hærefibus ianuam  
 aperiri? Bellius autem & ipſe cœſtro ſuo fatidico  
 correptus, Christi clementiam nobis pro exem-  
 plo proponit, quem etiam impudens canis iſtar  
 Caïaphæ illius adjurat. Ad hæc autem omnia  
 iampridem Auguſtinus reſpondit, quuim aduersus  
 » Manichæos & Donatistas hanc eandem cauſam  
 » ageret hiſ verbis, Recte, inquit, iſta dicerentur à  
 » vobis quarentibus martyrum gloriā, ſi mar-

tyrum causam haberetis . Non enim felices ait „  
 Dominus qui mala ista patiuntur, sed qui propter „  
 Filium patiūtur, qui est Christus Iesus. Vos autem „  
 non propter ipsum patimini, sed cōtra ipsum. Ad-  
 uersus quos autem hæc dicit Augustinus: Certè ad-  
 uersus eos, qui si vobiscū conferantur, infinitis par-  
 tibus erant meliores. Nam multorum vitiis offen-  
 si, ab Ecclesia discessione fecerant, eandem tamē  
 in plerisque doctrinam cum Catholicis requirētes.  
 Vos autem quum cognitionē Trinitatis, de officio  
 Christi, de prædestinatione, de libero arbitrio, de iu-  
 stificatione, de Baptismo, de Cœna Domini, neque  
 necessariā, neque vtile esse dicitis, quid nobis relin-  
 quitis quo Christiani sim? Id vnū scilicet quod ne  
 diabolis quidē potestis eripere. Idem Augustinus, „ In eodem  
 Et nos, inquit, cōfitemur quod dicitis, nō solis Apo- „ libro.  
 stolis esse dictum, Beati eritis quum vos persequu- „  
 ti fuerint homines. Ad omnes enim hoc pertinet, „  
 non qui post illos quamlibet persecutionem passi „  
 sunt, aut patiuntur, aut passuri sunt, sed qui propter „  
 iustitiam, sicut & ipsi. Nam & hoc paulò superius „  
 dixerat, Beati qui persecutionem patiuntur pro- „  
 pter iustitiam. Et libro tertio ad Epistolam Parme- „  
 niani, Considerent, inquit, prius quid faciant: post- „  
 ea quid patientur, aduertant. Quòd siquid pro eius- „  
 modi iniquitatibus patiuntur, si nolunt corrigi, sal- „  
 tem non audeant gloriari. Haecenus Augustinus.  
 Sed quum hæc à me dicuntur, plus etiā vobis con-  
 cedo quām debeam. Ecquid enim dicere potestis in  
 his Ecclesiis esse factum cur nos crudeles, fæuos,  
 sanguinarios vocetis? An idcirco fæui sunt nostri

Magistratus quòd adhuc vobis pepercérint: an crueles Ministri quòd pro vita vestra sint Magistratus deprecati? Nam vt de his nihil dicam, quos mihi ignotos esse fateor, duos vestræ factionis principes noui, quorum tamen nominibus nolui hunc qualēmcunque nostrum libellum contaminari, Magistratum nostrorum clementiam, & Ministrorum bonitatem re ipsa pridem expertos. Nunc tamen vterque nos truculentos & feros persequutores vocat. Quos autem hæreticos nominare potestis à nobis durius habitos? Vni abhinc biennium una ciuitate est interdictum propter singularem & planè monacho dignam impudentiam, quum sæpe admonitus, & conuictus, pestilentissimo dogmate ex Pighii & Siculi lacunis hausto, Ecclesiam palam turbaret. Sed videre mihi videor quid vos magis commoueat, nempe miserabilis illa innocentum hominum, id est Anabaptistarum cædes, deinde verò Serueti boni illius vestri fraterculi mors crudelissima. Ad illos autem quod attinet, primùm omnium Genevensis Ecclesia isto, vt vocatis, crimine non tenetur, non tam certè quòd ab aliis vicinis Ecclesiis dissentiat, quām quòd illam singularis Dei benignitas ab ista hominum peste penè immunem adhuc conseruarit. In aliis autē Ecclesiis minime dubito quin tam prudentes tamque pii sint principes, vt summam semper moderationem adhibuerint, & cōsilii sui optimas rationes habeat: tam pii quoque & in verbo Deierudit Pastores, vt si de Anabaptistis supplicium sumi bona conscientia non posset, liberè & Christianè fuerint suos principes ad-

monituri. Hos igitur Magistratus, hos Pastores quū  
 accusatis, scitote vos non modò imprudenter & im-  
 pudenter, sed etiam seditiose ac diabolicè facere.  
Quanquam quid mirum est vos ista audere, quum  
 vestram causam agatis? Quid enim: an non apertè  
 Bellius quæstionem de paedobaptismo sic eludit, vt  
 illos qui de eo cum Catabaptistis litigant, perinde  
 facere dicat atque si disputet, Num ante meridiem,  
 vel post meridiem lauandum sit? Nam personatus  
 iste Bellius ne illoto sermone vti videretur, aut po-  
 tius vt re ipsa ostenderet se se Baptismum non mul-  
 tò pluris quām cæteras ablutiones facere, vbiique  
 nobis sicut ex Angelis genios, ita etiā ex Baptismo  
 lotionem fecit. Ex his autem intelligi potest quid  
 monstri ab ipsis alatur. Itaque omnes hortor vt di-  
 ligenter considerent si profani isti homines con-  
 scientiæ & simplicitatis prætextu licentiam obti-  
 nuerint quiduis sentiendi & docendi, quā tandem  
 Ecclesiarum formā simus habituri, in quibus ean-  
 dem doctrinam neque Ministri proponant, neque  
 populus sequatur, sed ad euitandas (vt ait fanaticus  
 ille Clebergius) seditiones, tot sint in religione sen-  
 tentiæ quot capita, modò cæteris in rebus cōcordia  
 seruetur. Egregium certè insani hominis cōsilium,  
 quod etiam quarundam ciuitatum exemplo audet  
 confirmare, quarum nomen mirarer ab ipso non es-  
 se expressum, nisi hoc viderem ab ipsis summa cau-  
 tione vitari, ne in suæ veritatis causa periclitetur.  
 Ergo nemo miretur clementes istos homines agrè  
 potius ferre pisces hæreticorum sanguine pasci,  
 quām tot hominum myriadas hac contagione in-

fectas interire. Suam enim causam agūt, & quos Ecclesiæ nostræ ut hæreticos arcet, ipsi, si aperte loqui auderent, non tantum dicerent simplicitate peccare in rebus non ita cognitu necessariis, sed optimos & sanctissimos viros palam appellarent. De Serueto porro quid dicam: quod monstrum hominis nemō adhuc præter vos inuetus est qui non putauerit seuerè coercendum: nonnulli tamen ob certas causas (de quibus postea dicemus) paulò mitius tractandum fuisse iudicant. Vos autem quid mirum est iustissimum ipsius supplicium crudelitatem vocare, à quibus ipsa Trinitatis cognitio, id est unicum religionis fundamentum, inter *adīphœ* numeratur? Quid est igitur quæso cur nos sanguinarios vocatis? An quod omnes à nobis in aliquo dissidentes pro hæreticis haberi uelimus? Atqui hæc apertissima & impudentissima calumnia est. An quod Papistarum instar, placida & legitima cognitione ex uerbo Dei sublata, homines indicta causa ad aquam, ad cædem, ad flammarapiamus? Dicite quād id à quoquam nostrum non dico factum, sed tentatum fuerit. An quod inter Ecclesiasticam disciplinam, & Magistratus gladium, inter doctrinam & mores, inter infideles & apostatas, inter infirmos & contumacēs, inter ipsos denique hæreticos discrimen tollamus? Atqui & voce & libris editis, & re ipsa contrarium testamur. An denique quod Magistratum (sicut calumniamini) ad crudelitatem impellamus? Atqui mendacium hoc vestrum vel in ipsa Serueti causa illustrissimorum Senatorum Genevensium testimonio redarguitur, qui testari possunt eum ipsum hominem in cuius perniciē vestra factio iam olim cum diabolo frustrà coniurauit, quemque vos in

hac causa, cum summa illius Reipublicæ infamia, accusatoris & iudicis partibus fundatum fuisse confingitis, eum inquam ipsum, quantum potuit, labo- rasse, primùm quidem ut Seruetum ab impiis illis erroribus abduceret: deinde verò, quum ille iam es- set insanabilis, omnibus modis contendisse ut sal- tem incendio eximeretur. Sed tanta erat eius homi- nis rabies, tam execranda, tamque horrenda impie- tas, ut Senatus alioqui clementissimus solis flam- mis expiari posse existimarit. Quid igitur vos ad i- stas calumnias exhalandas impulit? nempe liuor, ambitio, mala conscientia, quæ vos ita excæcarunt ut falsa lenitatis specie opposita, vos quiduis cuius persuasuros esse credideritis. Verùm longè aliter (ut spero) res eueniet. Dominus enim aduersum vos gregem suum tutabitur, & consilium malum consultori pessimū esse, tandem, ut spero, sentietis.

*Nonum argumentum: Sinendos hæreticos, quod nullum sit homi- num genus minus metuendum.*

Caterùm ut omni tādem sublato pudore aper- tè vestram improbitatem detergetis, hoc quoque argumento vos vti non puduit, *sinendos esse hæreticos, quia nullum est hominum genus minus metuendum. Quod quū dicitis, quis vos seriò loqui putet?* sic tamen disertè scripsit quidam ex vestris, aut potius vestræ factio- nis princeps: *Nullum, inquit, hominū genus minus metuendum est: qui enim uitam manuīt amittre quam dicere quod non sentit;* (peccaret enim si faceret, et qui cogit, peccare cogit) *non est, credo, metuendum ne is pecunia possit aut alia re corrumpi.* Atque equi- dem illud mihi persuasi, nullos esse Principibus et Magistratibus obedientiores quam eos qui simpliciter Deum metuunt, et in eo quod sciant, fideles se se præstant. Quæso quis istum Chri-

stianè loqui non putet, qui fidei simplicitatē & conscientiam prædicet? Sed si roges quid sit, Simpliciter Deum metuere: si roges de qua conscientia loquatur, hīc demum lupi non ouis vocem agnoscas. Nam apud istos ( sicut antè ostendimus, & ipsi non negant ) simplices sunt qui cum Turcjs & Iudæis in vnum Deum credunt, & præterea Christum esse credunt Dei Filium, mundi dominum ac iudicem. cætera omnia sine vlla exceptione libenter ignarent. Sin autem roges quid sit apud eos conscientia, respondebūt esse quamuis cognitionem siue notitiam in animo insculptam, qua nostræ actiones accusantur vel defenduntur: & dicunt certè aliquid. Sed quum ad eam tanquam regulam volunt vt actiones nostras omnes exigamus, illud prætermittunt quod præcipuum erat, sicut à nobis ( vt spero ) explicabitur. Ergo quod ad prius illud attinet, quā ipsi simplicitatē vocant, eam ego Dei ignorantiam appello: pro eo quod ipsi Simpliciter Deum metuere: ego A Deo alienū esse dico. Nam qui Deum non aliter nouit quām Turcæ & Iudæi, Christum autem non aliter quām diaboli, ab illo Deum ignorari dico: quod & suprà ostendimus. Vult autem Christus vt adoremus quod scimus in Spiritu & veritate: nō autem quod nescimus cum Samaritanis: quū fides nostra non ex naturæ notitia, sed ex verbi auditu sit per Spiritū sanctum: vult vt non modò simus simplices, sed etiam prudētes: vult pueros nos esse, sed malitia non sensibus: vult nos sic credere vt intelligamus quid credamus, & parati simus ad respondendum cuilibet petenti de ea quæ in no-

**Distinctio Inter  
simplicitatem  
& ignorantiam.**

Iohan.4.c.22.

Rom.10.d.17.

Matth.10.b.16.

1. Cor.14.c.16.

1. Pet.3.c.15.

bis est, spe. Neque tamē aut summam, aut parem in omnibus perfectionē requiro, quum quotidie proficere nos oporteat, & varia sint Dei dona: sed præcipuarum tamē rerum cognitionem requiro, quas qui ignoret, Christianus nō sit: id est simplicitatem ab ignorantia, modestiam à stoliditate discerno, ne isti nobis fucum faciant qui Scholasticū illud dogma de fide implicita instaurāt. Sic enim apertè dicit Clebergius: *si quis, inquit, errat̄em ouem nactus, domum tuam adduc̄eret, quia ouem putaret esse tuam: nonne amares eum propter bonam eius voluntatem, etiam si ouis tua non esset? Quod si tu quum sis malus, id facis, quid faciet Deus? Nonne eos amabit qui id quod uerum esse putat̄, defenderint bona fide? etiam si forte erauerint: nonne eis ueniam dabit?* Minime verò Clebergi. nā Mahumetanum hoc dogma est, In sua religione quenque seruari. Nos autem in his qui extra Christum sunt, tuam illam bonam fidem agnoscere nō possumus, sed horrendam illam corruptionem in qua omnes filii iræ nascimur, & quam in nobis Iesus Christus per Spiritum suum sanat, extra quem salus non est: quia qui in Filium non credit, non videntur vitam, sed ira Dei manet super eum. De conscientia verò tam imperitè vos loqui minime miror, quū de re vobis incognita differatis. Ego autem paucis respódeo, me in eo vobis assentiri quòd conscientiam non putetis violandam. Didici enim ex Paulo peccatum esse quicquid ex fide non fit, & conscientiam infirmam pollui. Sed ex his nego conscientia qui duo illa quæ vos affirmatis: Rectū scilicet esse quicquid fit ex conscientia: & Suæ quenque conscientiae relinquendum. Nam si errare non potest conscientiam tanquam ducem sequitur, dicite quæ-

Eph. 2. a. 3.

Ioan. 3. d. 36.

Quid conscientia, &amp; quatenus illi parentum.

Rom. 14. d. 23.

1. Cor. 8. b. 7.

1.Tim.1.c.13.

1.Cor.15.b.9.

Luc 23.c.34.

2.Cor.t.c.12.

1.Tim.1.a.5.

so quis ille zelus est non secundum scientiam, quo Paulus Christū persequebatur? qui si vitiosus non est, cur idem clamat se blasphemū fuisse, & indignū qui Apostol⁹ vocetur, propterea quod Ecclesiā Dei persequutus est? Cur Dominus pro his rogat à quibus crucifigebatur, si non peccāt qui se peccare nō putant? an non hoc est, rogo, Papistarū bonas (quas vocant) intentiones reuocare: an non Libertinorū Opinationem stabilire? Atenim, dicet Clebergius, Peccare non nego, sed veniam ipsis dari dico. Neque nos verò id negamus: sed addita conditione, si Christum per fidem induerint: fidem, in qua Christianorum propriam, quam vos non agnoscitis. Nam nisi conscientia ex verbo Dei, non ex natura notitia (quæ quod ad verū Dei cultum attinet etiā inimica Dei est) intellexerit quid Deo placeat, quid supereft nisi vt nos secum in exitiū præcipitet? An enim existimatis fore ut Christus ex opinionibus nostris, ac non potius ex ipsius verbi præscripto mundum iudicet? Itaque antequam ad conscientias normam actiones nostras exigamus, conscientia ipsa in primis ad verbum Dei est exigenda. Neque enim conscientiam tantum requirit Dominus, sed bonam. bona autem Apostolus interpretatur non eam quæ in tenebris ignorantiae (quam simplicitatem appellatis) sepulta est, sed quæ est ex fide non facta: ut hæc quatuor, verbū Dei, cognitio, fides, conscientia bona, inter se arctissimo vinculo iuncta cohaereant. Hæc enim est de qua gloriatur Apostolus, hæc est quam exigit, & finem præcepti esse dicit. Ex quo constat istorum simplicitatem & conscientiam

nihil aliud esse quam personas, quas ad fallēdos incautos induerunt. Nunc autem his detractis consideremus vnde tandem ratiocinentur hæreticos minime omnium hominum esse metuendos: *Quia, inquiunt, omnia sunt obedientissimi, qui mori malunt quam dare quod non sentiunt.* Eximia certè obedientia, ita sententiæ tuæ addictum esse ut etiam verbo Dei cōuictus, occidi te potius finas quam sententiam mutes. Quasi verò inter constantiam ac pertinaciam nullum sit discrimen. Iubet Magistratus ut ciues arma capiat: repugnabit Anabaptista, & morietur potius quam vociferari desinat, Christianis bellum gerere non licere: & ita excitabitur seditio, totaque Respublica, quantum in ipso est, euertetur. Nonne hoc egregium est obedientiæ exemplum? Curabit Magistratus in sua ditione verbum Dei fideliter doceri: assentientur omnes: tandem exorietur furiosus aliquis, simplicitatem tamen ac pietatem simulans, qui præcipua dogmata religionis oppugnabit: priuatum ac publicè ritè admonitus, & tandem disciplina Ecclesiastica coercitus, haec omnia nihili faciet: si verbum Dei obiicias, vel deridebit, vel impudenter calumniabitur, vel reuelatam aliquam interpretationem afferet: si Ecclesiæ consensum opponas, omnes præter se vnum errare dicet: & quod erit ad simulādum exercitatiōr, aut iusto Dei iudicio magis excæcatus, eo magis sibi vim afferri con queretur. Denique omnibus omnium rationibus & apertissimis Scripturæ testimoniis solam pertinaciam inexpugnabilem opponet, Ecclesiam perturbabit, discipulos sibi adiunget, fidelibus Mini-

stris insidiabitur, Ecclesiasticam disciplinam de-  
spiciet: si à Magistratu corripiatur, martyrium ia-  
etabit. Quid cum eiusmodi homine agendum sit,  
nunc non quæro: hoc quæro, an sit iste obediens, ac  
non potius Deo & hominibus rebellis: an non sit  
iste Reipublicæ tanto magis metuendus quàm fu-  
res & homicidæ, quanto magis peccat qui ciuis a-  
nimam, quàm qui corpus occidit: an non quauis  
lue & peste magis exitialis, quū disertè testetur Spi-  
ritus Pergamēsi Ecclesiæ se illi infensum quòd Ni-  
colaitas quosdā haberet: & Thyatirensi quòd Ieza-  
belem sineret seruos Dei seducere. Ut negare iam  
non possitis, quum propter hæreses soleat ira Dei  
grauissime inflammari: imò verò hæreses, quanuis  
necessariæ, vt qui eleæti sunt probati fiant, tamē ma-  
nifesta sint iræ Dei testimonia, nullum hominum  
genus orbi terrarum magis metuendum esse, & ma-  
iore studio ac sollicitudine ex cæterorū hominum  
consortio, atque adeò interdum ex ipsa vita detur-  
bandum. Quòd si vestram doctrinam sequamur,  
non modò non eiiciendi, sed ne metuendi quidem,  
imò maximis quibusque præmiis afficiendi erunt  
hæretici, vt qui inter cæteros ciues incorruptam  
obedientiam præstét, adeò vos præposteri clemen-  
tiæ patroni omnem pudorem & humanitatē exui-  
stis: humanitatem exuistis, dico, quia summo huma-  
ni generis odio teneatur necesse est qui infensissi-  
mos hominum salutis hostes non modò non coërc-  
endos, sed etiam honore afficiédos putet. Hæc ve-  
stra simplicitas est, vestra conscientia, vestra inno-  
centia, vestra probitas & clemétia: hæc denique ve-

*Apoca.2. d.15. &  
20.*

*1.Cor.11.d.19.*

stra alba vestis est, qua luporū rabiem ac sitim nocendi inexplebilem occultatis.

*Decimū: arg. mētū: Ab exēplo clemētiæ et benignitatis Christi.*

Quid plura: quasi ad vestram summam improbitatem & blasphemiam aliquid deesset, Christum etiam ipsum nobis obiicitis, cuius exemplo hæreticos foueamus. Homines certè impiudentes, qui vobis cum stipibus & fungis negotium fore credideritis: impudētes autē & blasphemati, qui ad tuerendum mendacium, Veritatis ipsius patrocinio abutamini. Sed istos quoque luporum v lulatus audiamus nam hīc planè triumphant, & miras excitant tragœdias. *Equidem, inquit Bellius, dum considero Christi mores et doctrinam, qui quum innocens esset, nocentibus semper ueniam dederit, dari que uel septuages septies iussurit: non video quomodo Christiani nomen ueri possimus, nisi eius clementiam imitemur.* Et paulò pōst, itaque consul: ū fuerit ut in tanta multitudine peccatorū quibus omnes obriumur, ad se quisque redeat, et de corrigenda uitā sua, non de alienis damnandis sit sollicitus. Itē alibi, *Quis non poterit Christum aliquem esse Molochum, aut eius generis aliquem Deum, si sibi uiuos homines immolari comburi que uelicet Quis uelit seruire Christo ea cōditione, ut si in aliqua re inter tot controvērsias ab ijs dissideat qui habent in alios potestatem, uiuus comburatur ipsius Christi iussu, crudelius quam in taurō Phalaridis, etiam si in medijs flāmis Christum magna uocē cōcelebret, et se in eum pleno ore credere uociferetur?* Enge adesse Christum ipsum iudicām, et sententiam pronuntiantem, ac faces inferentem: quis non Christū pro Satana habeat? *Quid enim posset aliud facere Satan quam ut eos comburat qui Christi nomen invocant?* O Christē, mundi creator atque rex, uides hæc? adeōne alius f. Etus es, adeō effera tus, adeō tibi cōtrarius? *Quum esses in terris nihil erat te mitius, nihil clemētius, nihil iniuriæ patiētius.* Si aut omnis ante tonsorē, ne mutiuisti quidē: ueribus cōcisus, cōpia

tus, derisus, spinis coronatus, inter larrones summa cū ignominia crucifixus, pro his orasti qui tibi istas omnes contumelias intulerūt. Adeōne nunc mutatus es? Quæeso te per nomen sanctum Patris tui, iubé ne eos qui instituti, præceptaque tua non ita intelligunt ut postulant magistri nos:ri, aquis suffocari, uerberibus usque ad uiscera concidi, deinde sale conspergi, ferro trucidari, lēto igne torreri, et omni suppliciorum genere quam diutissime fieri potest excruciaris? Hæc tine tu, Christe, iubes et probas? Hinc sunt uicarii tui, qui hæc sacrificia faciunt ad hancne tu uiscerationem uocatus ades, et humana carne uesceris? Si tu Christe hæc facis uel fieri iubes, quidnam faciendum diabolo reliquisti? an eadem facis tu que satan? blasphemias, o hominum sceleratum audaciam, qui ex Christo tribuere audeant, quæ sunt instinctu iussuque satanæ! Et hæc quidem omnia, Lector, ex Bellii prefatione exscripsi, vt appareat nullam istis à me fieri iniuriā quum lupos esse dico sub ouium ueste delitescentes. Quis enim quum hæc audit, pastorem sibi non videatur audire de gregis salute ita sollicitum vt sui ipsius obliuiscatur? Quanquam profectò, vt nihil aliud sit, profanæ istæ similitudines Christi cum Molocho & Satana, & temeraria ista Christi per sanctum nomen Patris obtestatio, temerarium & incōsideratum zelum produnt. Sed hæc istis concedantur, qui omnia sibi licere volunt. In primis autem quod de crudelitate iactatis, scitote ad nos non pertinere, quum Dei gratia neque pro hæreticis eos habeamus qui in aliqua re à nobis dissentiant, neque in alios potestatē usurperimus, neque quemquam non dico viuu cremauerimus, sed pro hæretico habuerimus qui Christi nomen inuocaret. Nam quod ad Seruetum attinet, quem vos nominatim appellare non audetis: quo pudore ipsum in mediis flam:

mis Christum magna voce concelebrassem, & se in eum pleno ore credere vociferatum dicitis: quum hoc, ab eo iam morituro nullis Ecclesiæ precibus extorqueri potuerit ut Christum pro æternō Dei Filio agnosceret? neque ullis Ministrorū præsentium obtestationibus & penè lachrymis impetrari ut sui ipsius rationem haberet? Nam etiam in ipso mortis articulo suarum artium obliuisci non poterat, quas tota vita exercuerat. Itaque quum sedulò admoneretur ut aliquod resipiscētiæ signum daret: Ego, inquit, Christum æterni Dei Filium esse fatus sum. Quum autem, detecta eius fraude, ab eo petieretur ut non modò æterni Dei Filium, sed etiam æternum esse Dei Filium agnosceret, ne officium Mediatoris illi eriperet: obmutescere maluit quam Filio Dei debitum honorem tribuere, partim horrore mortis perturbatus, de qua nunquam antea serio cogitarat: partim, ut ego existimo, iusto Dei iudicio perculsus. Et Christū ab eiusmodi hominibus inuocari arbitrabimur? Absit. Imò verò quoties Christi nomen pronuntiant, toties ab ipsis Dei Filius blasphematur: ut qui Christum non qualis est, & qualem nobis in verbo suo sese declarat, sed qualem ipsis sibi finixerunt, id est pro vero & unicō Christo idolum pertinaciter amplectātur. Nam alioqui inter hæreticos nullus vñquam fuit qui non Christi nomine suis erroribus obtenderit, siveque super Christum ædificare iactarit: sed frustra, quū re ipsa Christi doctrinam reiiciendo, Christum ipsum repudient. Hæc igitur crudelitatis accusatio nihil ad nos pertinet, nisi sauitiam vocatis post leg.

gitimam & placidam ex verbo Dei cognitionem, post s̄epe repetitas adhortationes, post initiora o-  
mnia remedia frustrā adhibita, in Anabaptistas to-  
tius politiæ tum ciuilis tum Ecclesiæ cuerso-  
res, & blasphemum ac impium illum Seruetum, cu-  
ius impietas triginta annorū spatio compesci non  
potuit, iusto supplicio animaduertisse: nisi inquam  
ſæuitiam vocatis quòd Magistratus fortis & con-  
ſtantis ab Ecclesiarum ſibi commissarum defensio-  
ne nullis minis deterreatur, & pii harum Eccle-  
ſiarum Pastores ſuper vos lupos illeſ graues & fa-  
melicos excubias agant. In Turcas igitur & Papi-  
tas iſta conueniunt, qui verbo Dei deſtituti ſola vi  
non hæreticos modò, ſed etiam verè Christianos  
crudeliffimè persequuntur. In vos denique iſta con-  
ueniunt, qui corporibus quidem parcitis, quia nimi-  
rum Deus parem voluntati potestatem vobis non  
conceſſit, ſed in miseras animas omnem ſæuitiam  
exercetis. Sed ad rem veniamus. Christum Filium  
Dei nobis pro exemplo proponitis. rectè profecto.  
Nam non dubitamus quin perfectissimum & abſo-  
lutissimum ſit exemplar. Sed quomodo fit nobis  
imitandus Christus, hoc ipsum eſt de quo queri-  
tur. Vos enim hīc nullum diſcrimen feruatis: nos  
autem quia Christum diuerſe conſideramus, diuer-  
ſas etiam adhibemus diſtinctions Quatenus enim  
eſt Dei & hominum mediator, proprius, habuit of-  
ficiū quod intra ipsum vnu hæret, quòdque ipſe  
cumulatiffimè præſtitit: vt ſiquis eum hac in re ve-  
lit imitari, præterquam quòd id fruſtrā conetur, e-  
tiam pro ſtulto & infano merito habeatur. Deinde

Quomodo Chri-  
ſtus nobis ad i-  
mitandum pro-  
ponatur.

quatenus minister fuit ad Dei Patris voluntatem  
 explicandam , potestatem habuit quam cum nullo  
 hominum communicat,nouum scilicet fœdus vete  
 re abrogato sancicndi , & pro iure suo conscientias  
 obligandi: quod neque Prophetis,neque Apostolis  
 licuit, nisi quatenus Dei fuerunt interpretes. Dein  
 de summa in eo plenitudo fuit,in nobis autem Spi  
 ritus dona neque tot,neque tanta sunt,vt multa fece  
 rit quæ neque ipse poscit vt imitemur, neq; vt veli  
 mus , imitari possimus : cuiusmodi illud est quòd  
 quadraginta dies & noctes iejunauit, quòd omne  
 morborū genus sanauit. Hæc enim & similia cum  
 Verbi ministerio non sunt necessariò & perpetuò  
 coniuncta . Præterea ministerium suum ad certos  
 homines & certum etiam tempus accommodauit:  
 & haec tenus multa ipsius singularia facta minime  
 necesse est vt Ministri imitentur , quandoquidem  
 Christus in terris agens Circūcisionis minister fuit. Rom.15.b.8.  
 Sed quatenus fuit perfectissimum obedientiæ exem  
 plar , singulos fateor , cuiuscunque tādem sint gra  
 dus ac conditionis,in eum vnum tanquam scopum  
 ac finem vnicū intueri debere . Itaque sicut ille per  
 omnia Dei Patris gloriam omnibus rebus antepo  
 fuit , deinde hominibus etiam inimicissimis omni  
 bus modis prodesse studuit , ita quisque facere tene  
 tur: sed non uno tamen & eodem modo, quum diuer  
 sæ sint in Ecclesia functiones . Magistratus igitur  
 Christum imitabitur, primùm si præsidia quæcun  
 que à Domino accepit, ad veræ religionis curam &  
 conseruationem applicuerit: deinde omnia pro vi  
 ribus sustulerit quæ subiectos impedianc quominus  
g.iii.

inter se pacificè & tranquillè mutua charitatis officia exerceant . Itaque quando sceleratos puniet , & cōtrouersias decidet , ad Dei gloriam & Reipublicæ conseruationem omnia accommodans , Christum dicetur imitari , etiam si Christus , quia iudex non erat , adulteram non condemnarit : & familie hercifcundæ arbiter esse noluerit . Item Ministri , baptizando & Ecclesiastica disciplina contumaces coērcendo , Christum imitantur , etiam si neutrum fecisse Christus legatur . Priuati denique omnes pro vocatione sua Rēpublicā in tremore & timore Dei adiuuantes , Christum imitantur . Quòd si contrā Princeps aut sceleris conuictum absoluat , aut hæreditatem diuidere recusat , aut docere velit in Ecclesia , Christum non imitabitur , qui tamen fecit hæc omnia . Idque de cæteris quoque ordinibus intelligendum est : quos omnes quum Christus non duxerit , ha& tenus nobis ad imitandum proponitur , vt non singula ipsius facta , sed in genere absolutissimam ipsius obedientiam quisque sibi pro ratione vocationis proponere teneatur . Quòd si ( vt isti videntur velle ) nihil faciendum est quod Christus non fecerit , cur Magistratus fures suspendunt : cur controuersias decidunt : cur Christianis litigare li-

A&.4,& 13,& 25. cet : cur Petrus homines verbo interficit : cur Paulus excæcat : cur idem ad Cæsarem prouocat , quum Christus coram Pilato ne mutinerit quidem : Sed & aliud est in hac controuersia maximi mometi , quod isti non considerant . Christi enim regnum & natum ex eo dunt taxat temporis interuallo æstimant quo in terris hominum more versatus est . quasi ve-

rò Christus etiam in hodie in singulis Ecclesiæ  
 membris non regnet, quoties officium ritè faciunt  
 sibi à Deo iniunctum. Quid enim: An putatis quum  
 Magistratus, nomine Christi inuocato, sceleratum  
 aliquem in manus carnificis tradit, Christū ipsum  
 hoc non facere: quum Ministri in nomine & ex ver-  
 bo ipsius populum ritè docent, obiurgant, consol-  
 lantur, an non Christum in eorum persona loqui  
 censem? Quid est igitur quòd Christi naturam no-  
 bis ponitis oculos: An à Christi natura abhor-  
 ret malos punire: imò verò potius, némne idcirco  
 Magistratum in Ecclesia sua constituit, primùm ut  
 eius præsidio legitimo Verbi ministerium defenda-  
 tur, deinde ut ipse per Magistratum sceleratos pu-  
 niat: alioqui cur Magistrati parendum non mo-  
 dò propter iram, sed etiam propter conscientiam?  
 At Christus clementissimus fuit. Quis sauitiam &  
 crudelitatem non condemnat? At Christus patien-  
 tissimus. Fateor: sed tamen iustus iudex in eos qui  
Rom. 13. b. 6.  
 iram sibi cōgregant. At Christus verberibus conci-  
 sus, consputus, derisus, crucifixus ne mutiuit quidē.  
 Fateor: & hanc patientiam in priuatis iniuriis vt  
 in plures imitarentur. Idem tamen aliquando fla-  
Rom. 2. 2. 5.  
 gellum corripuit, & quum tempus vltioni constitu-  
 tum aduenit, quæso quām horribile iræ suæ exem-  
 plur edidit, & etiam in hodie in Iudeos edit?  
 Quid: vt iam olim præteritas Iudeorū clades præ-  
 termittam, vastatio illa Turcarū, & Papistica tyran-  
 nis quid aliud est quām terribilis ira Christi cōtem-  
 ptū verbis sui vindicatis? An nō Deus est qui infini-  
 torum Regum, Principū, populorum, regionum va-  
Ioh. 2. c. 15.  
 g. iv.

statione & excidio quotidie maiestatem suam vin-  
dicat? Tyrannos à quibus hæc sæpe facta sunt, cul-  
pæ non eximo: imò non dubito quin ea quæ Deus  
iustè decreuerat, ipsi sceleratè peregerint. Sed ne-  
que hæc soli Tyranni fecerunt, vei umetiam fideles  
Dei serui, idque ex Dei mandato: neque aliud inde  
colligo quām improbè vos facere qui publicam  
vindicationem, & auctoritate Dei factam à priuata  
vltione, & crudelitatem à iusto iudicio distinguere  
nolitis. Quæso verò quām bella hæc cōsecutio est?  
Christus idcirco huc missus ut peccata nostra eluc-  
ret, nullis iniuriis restitit, neque Magistratum aduer-  
sus hæreticos appellauit. Ego nefas est Magistrà-  
tui hæreticos ~~adūnacare in~~, à quibus Christi maie-  
stas profanatur, à quibus Ecclesia perturbatur, à  
quibus animæ ad interitum abducuntur, punire: er-  
go Ministris qui omnia frustrà tentauerint, petere  
à Magistratu non licebit ut lupum famelicum qui  
Ministrorum voce minus quām lapis cōmouetur,  
aliqua ratione coercent. Nam hoc si fiat, statim cla-  
mabunt clementes isti hæreticorum patroni, Chri-  
stum hoc non fecisse, nos ex Christo Molochum &  
Satanam facere: quinetiam sciscitabuntur ex ipso  
Christo si hoc faciat, quid diabolo faciendum relin-  
quat: Os blasphemum & impudens! si Deus ille qui  
Dathan & Abirom propter seditionē viuos cura-  
uit absorbendos, vt iniuriam sibi in Mosis persona  
factam vlcisceretur: qui Aaronis filios propter a-  
lienum ignem illatum viuos cremauit, vt quanta sit  
mandatorum suorum auctoritas declararet: qui de-  
nique nobis peccata nostra non condonauit nisi

*Deu.20.d.16.  
& 17.  
1.Sam.15.a.3.*

*Num.16.*

*Leuit.10.a.2.*

prius suppicio crucis in Filio suo expiata, sicut ab æterno decreuerat. Si te, inquā, Deus ille, vel Christus eius Filius cælestis, igne propter has blasphemias consumeret, non propterea Molochus, non diabolus (quod sine horrore cogitare non possum) sed iustissimus esset maiestatis suæ vindicta, sicut semper fuit & erit: nec propterea mutatus esset Christus, cuius quotidiana iudicia in præfractos & contumaces verbi sui contemptores cernimus, & amplius etiam aliquando cernemus quum æternis suppliciis reprobos addicet.

Vnde cimum argumentum: Quod plurimos alios quantumvis sceleratos vulgi punire non soleant.

Sed quid præterea isti cauillentur audiamus. si non modò Turcas, aiūt, et Iudeos uiuere patimur apud nos, uerum etiā maledicos, superbos, auaros, iniuidos, impudicos, ebrios, et cætera huiusmodi flagitiorum genera ferimus, et cum ipsis uiuimus, epulamur, lætamur, debemus saltem cōmunicem hunc aerē et spiritum ipsis concedere qui idē Christi nomen nobis aī profiteretur, et nemini nocent, eoque sunt animo ut mori malint quam aliud dicere aut facere quam quod dici aut fieri debere arbitrantur. Enim uero quis istum adeò insaniire potuisse existimasset, vt ista seriò effutiret: Nam p̄ imū omnijū ut tibi concedam in his omnibus flagitiis puniendis quæ commemoras negligentes esse plerosque Magistratus, an rectè inde colliges haereticis quoque imputitatē esse concedendum? Certe qui hoc petit, quid aliud petit à Magistratu quām quod ait ille, vt qui semel verecundiae fines transfilii, bene ac gnauiter sit impudens: id est vt ex malo pessimus fiat? Deinde verò quid si exciperem quod verum est, haereticos Christi nomen non profiteri, sicut tu

Refutatio.

vis, sed pertinaciæ suæ pietatis umbrā prætexere: & tanto esse Turcis & Iudæis magis perniciosos, quāto simulatam amicitiam magis quām apertum o-  
dium omnes metuūt: tanto verò iustius puniendos,  
quām vllos aut superbos , aut auaros , aut impudi-  
cos, aut inuidos, aut ebriosos , quanto maius est sce-  
lus ipsam Dei maiestatem aspernari, quām in se-  
aut in proximum aliquid committere, & in doctri-  
na quām in moribus peccare? Sed ne has quidem  
defensiones quererere cogimur. Nam Turcas quidē  
aut Iudæos cæterosve qui fidem Christianam aper-  
tè repudiant quo tandem iure puniret Magistratus:  
nisi quis fortasse de industria Christum insigni ali-  
qua blasphemia affecisset: est enim iste Christi con-  
temptus manifestus Christiano Magistratu in sua  
ditione intolerabilis: aut nisi quis à Christianis ad  
Turcas vel Iudæos sciens ac prudens defecisset : is  
enim vt impius & blasphemus apostata inerit à  
suo Principe puniatur: aut nisi quis Christianos in-  
ter quos versatur, ad defectionem sollicitat: e com-  
pertus esset: nam qui id faciat iure in eum pro crimi-  
nis grauitate animaduertatur: nisi quis denique iu-  
sto Magistratus edicto se se pertinaciter opponeret:  
is enim vt seditiosus plebi debet. Sed & Turcarum  
& aliorum quorunvis iniurias à suis tenetur Ma-  
gistratus, etiam armorum, quando aliter non licet,  
præsidio propulsare . Sed alia est haereticorum ra-  
tio, qui domestici sunt hostes, & Ecclesiam Dei ma-  
litiosè vexant. Affectata enim ignorantia & factio-  
num studium pertinax, certissima sunt præsertim  
in religionis causa, summae improbitatis argumē-

ta. De cæteris vero quibuscum falso & inuidiosè dī  
 cis nos viuere, epulari, & lætari: paucis tibi respon-  
 deo: A Magistratu non vitia nuda, sed ea demū quæ  
 in crimina eruperunt puniri. neque enim de occul-  
 tis iudicare potest. Debet tamen quoad eius fieri po-  
 test, politiam ita administrare vt vitia etiam extir-  
 petur, ex quibus postea crimina exoriri necesse est.  
 Repte enim Xenophon Persas laudat quod magis  
 solliciti essent de ciuibus ita instituendis vt à scele-  
 ribus abhorrerent, quam de puniendis sceleratis.  
 Itaque in Ecclesiis Christianis scholæ institutæ  
 sunt, in quibus pueri bona & syncera in primis re-  
 ligione informantur: deinde Catechismus expli-  
 catur: & præter publicas cōciones, in quibus palam  
 omnes erudiuntur, admonentur, excitantur, incre-  
 pantur, etiam ~~apostolice~~ constitutum est, in quo se-  
 uerius admonentur, aut etiam Ecclesiastica disci-  
 plina ex verbo Dei coercitur qui à Christianorum  
 officio discesserunt. Sinautem vitia crimen aliquod  
 pepererint: vt si quis maledicus aut scurra alterius  
 famam læserit, sicut vos nuper impudentissime feci-  
 stis: si quis ebriosus quempiam pulsauerit, si super-  
 bus alicui fecerit iniuriam, si auarus alicuius fortu-  
 nias malis artibus imminuerit, si libidinosus fuerit  
 scortatus, aut vxorem alicuius corruperit, optimæ  
 & sanctissimæ leges perscriptæ sunt, ex quarum for-  
 mula Magistratus hæc flagitia puniat. Hic igitur  
 quid est quod reprehendas? Hæresim autem à nobis  
 inter crimina, & ea quidem grauissima, numerari  
 iam antè ostendimus, vt in te hoc idem argumen-  
 tum retorquere liceat, nimirum quum minimæ

Libro Cyri paa  
diæ primo.

etiam iniuriæ à Magistratu puniri soleat, nihil cau-  
fæ afferri posse cur in hæreticos *aw̄nka t̄xpīt̄s* seueris  
simè non animaduertatur.

*Duodecimū argumentū: Quod nemo ad fidē cogi possit aut debet.*

Supereft vnum, ni fallor, argumentum quod op-  
ponut aduersarii, vt licentiam habeant ea sacrilegia  
plenis buccis crepandi quæ iampridem in suis gur-  
gustiolis obmurmurant. *Persuaderi mult fides*, aiunt,  
*non cogi*. Sanè hoc ita esse confitemur. Neque enim  
hic locus est de libero arbitrio disputādi: idque vel  
ex ipso Episteti enchiridio didicimus, *Opinionē*  
& appetitionem in nobis esse. Sed & Turcarum &  
Papistarum crudelitatem meritò reprehendimus,  
qui superstitiones suas nuda vi conantur stabi-  
lire. Sed quorsum hæc ad nostram causam? Ec-  
quis enim est tam imperitus, vt quum Magistratus  
hæreticum punit, existimet id eum idcirco propriè  
facere vt vi cogat ad meliore frugem redire? Nam  
certè si hic esset Magistrati scopus propositus, ca-  
pitale supplicium in nullū quantumvis sceleratum  
statueret. Atenim dicent isti, Causam religionis in  
qua facile potest aliquis hallucinari, ab iis criminib-  
us separandā de quibus nemo dubitare possit. Ego  
verò ab istis primū omnium quæro à quo tan-  
dem magistro didicerint Diuinæ maiestatis vio-  
lationem à cæteris maleficiis ita subtiliter distin-  
guere, vt ad Magistratum pertinere non putent:  
de quo postea disputabimus suo loco. deinde hoc  
dico, de iis non disseri à nobis qui infirmi sunt  
in fide, (hos enim docendos non puniendos esse re-  
ipsa ostendimus, ita tamen vt ipsorum infirmitas

nō foueatur) sed de hæreticis *αὐτοκατεῖτοις*, id est domesticis Ecclesiæ hostibus, præfractis & factiosis. Hi sunt igitur in quos inquiri debet: miniime id quidem ut simulata professio aut resipiscientia extorqueatur, sed ut Magistratus verè Deo seruant cuius sunt ministri, & Filium osculentur: id est ut injuriam maiestati Dei, cuius ipsi in hoc modo sunt vindicis, procaciter factam vlciscantur: ut doctrinæ & morum externā politiam conseruent. Quod fieri non potest nisi eius perturbatores contumaces coērceātur: ut putri membro, quū opus fuerit, resesto, totius corporis in columitati cōsulant: ut ex exemplo in vnum edito, reliquos ita contineant in officio: ut si qui sunt à quibus nec minis nec precibus impetrari possit ut idem cū cæteris ex Verbo Dei sentiant, hoc saltem pro potestate quam à Deo habent, ab ipsis extorqueant ut vel aliò demigrent, vel modico fermento totam massam non corrūpant. Hæc cīne verò vobis tam leuia videntur ut iustum suppliciis hæreticorum causam non afferant: an verò mauultis proteruiendi licentiam in rebus Sacris concedi, quam nemo vñquam in rebus ciuilibus nisi penitus amens & insanus probauit? Cæterū quum ad omne errorum genus proclives sint homines, facile tamen eos confiteor in religione hallucinari, non modò quia animalis homo non cognoscit quæ Dei sunt, & carnis sensus inimicitia est apud Deum: sed etiam quia ipsi queque Sancti nonnisi ex parte cognoscunt. Sed sicut simplicem ignorationem tantisper sustinemus dum peruvacia, & factiosum ingenium, cæterāq; absunt

1.Cor.5.2.6.

omnibus hæreticis cōmuniā, sic eos non putamus  
 ferendos qui volentes ignorant quod scire & confi-  
 teri Christianum necesse est, & alios etiam in erro-  
 rem abducunt. Quid quòd de furtis quoque & adul-  
 teriis, & homicidiis inter Anabaptistas & Liberti-  
 nos quarētur an scelerā sint? An igitur istos etiā di-  
 cetis bona fide errare, & propterea nō puniēdos ne  
 ad meliora cogantur? Taceo quòd toties aduersus  
 Donatistas & Circuncelliones Augustinus testa-  
 tur experientia ipsa edoctus, plerosque eo esse inge-  
 nio vt nulla re magis quām scueritate in officio cō-  
 tineantur: adeò vt quod initio pœnæ formidine vi-  
 tarunt, id ipsum postea libenter fugiant, & asperita-  
 tem illam sibi saluberrimam fuisse testentur. Vn-  
 de recte idem colligit ad Bonifacium scribens, hoc  
 pertinere ad diligētiām Pastoralem, etiam n̄las o-  
 ues quæ non violenter ereptæ, sed blandè sedu-  
 ctæ à grege abetrauerant, & ab alienis possideri in-  
 ceperant, inuentas ad Dominicū ouile, si resistere  
 voluerint, flagellbrū terroribus, vel etiā doloribus  
 reuocare. Ipse verò Dominus in suis castigādis fi-  
 liis nōnne hanc rationem tenet vt Phrygas plagis  
 emendet, frugi autem filios lasciuientes moderate  
 coērceat: Quòd si nullus virgarum vsus, quorsum  
 Ecclesia soluit & ligat: an vt hypocritas faciat: hoc  
 enim dicit fanaticus ille Monfortius, Augustinum  
 simulans hoc incommodum non prouidisse. Sed  
 longè aliter Paulus. Nam Verbi doctrina non con-  
 tentus, suam illam exerceat vlciscendi paratam fa-  
 cultatem, Satanæ tradendo inestuo um: minimè  
 id quidem vt ille pœnitere se simularet, sed vt spiri-

eus saluus esset in die Domini Iesu: quæ spes eum  
 nō fecellit. Quòd si obiiciatis de moribus agi apud  
 Paulū, non de doctrina, prouocare possum ad Bel-  
 lianam illam diuisionē à nobis refutatam, qua hæ-  
 reticos etiam facit quosdam in moribus. Deinde  
 respondeo vos magnopere hallucinari, si castiga-  
 tionem istam ad eos tantum pertinuisse existima-  
 tis qui in moribus errarent. Siquidem insigne eius  
 exemplum etiam in Hymenæo & Alexandro habe-  
 mus, propterea quòd in fide naufragium fecerant,  
 & quorundam fidem subuerterant, nimirum quòd  
 dicerent resurrectionem iam esse factam. Istos igi-  
 tur Paulus quia hæretici erāt, Satanæ tradit. mini-  
 me id quidem ut vim afferat eorum conscientiæ,  
 quæ pessima erat, qualis est scilicet hæreticorum o-  
 mnium: sed ut discerent non blasphemare. Quam-  
 obrem negare non potestis, quū in vestra illa ~~ar-  
gumentatione~~ neminem cogi vultis, sed suæ quemlibet opi-  
 nioni relinqui, vos ex diametro Pauli doctrinæ  
 aduersari. Quod enim ait Eleutherius ille vester, no-  
 mini suo planè respondens, *christianos propterea liberos*  
 & *sui iuris nominari, quòd eorum negotium ex nulla ullius legis*  
*violentia manat, sed ex libero instinctu spiritus, qui fidem in eis*  
*operatur, & doceat, & charitatem accendit. hoc, inquam, sicut*  
*re ipsa verum est, ita est omnium* ~~argumentorum~~ *fundamen-*  
*tum, nisi commoda interpretatione explicetur. Ne-*  
*que enim illa est hæreticorū natio quæ Spiritum*  
*Dei non iactet, adeò quidem ut nōnulli etiam Ver-*bum repudiént, sicut & vos re ipsa repudiatis. Quòd*  
*siqui Scripturam amplèctuntur, idcirco id faciunt*  
*ut simplicibus imponat. Vera autem Ecclesia Dei,**

1.Tim.2.c.18

cuius nos esse membra non dubitamus, Spiritum, Verbum, & Fidem ita inter se coniungit perpetuo nexu, ut ex Verbo & Spiritu Dei à spiritu Satanæ & mundi dijudicet, & Fidem ab Opinione & vana imaginatione distinguat. Hoc igitur Spiritu gratis dato quotquot ante constitutionē mūdi electi sunt, adeò efficaciter trahi dicimus, vt à peccato manu-missi, incipiāt ea quæ Dei sunt sapere, velle, & perficere: quia Spiritu Dei agūtur, qui per fidē coniuncti Christo filii Dei sunt: neque iam Lex eos terret, sed benignè, & maximo cum fructu docet: ita tamen vt magnum adhuc & acerrimum certamen supersit, tantisper dū ab hoc corpore mortis per ipsam mortem plenè liberentur. Hi sunt finis quibus Christianam libertatem ex verbo Dei definimus & circumscribimus. Quorsum hoc autem ad eam cōfirmandam spirituum licentiam, & summam *α&ξιας* inuehendam cuius patrociniū suscepistis: Quòd si hæc exempla quæ nos attulimus ad ciuilem Magistratum negetis pertinere, & aliud esse clametis castigare quām occidere: utrumque sanè vobis concedo, sed ad quæstionis statum vos excurrentes reuoco. Neque enim hic à nobis quæritur an ad Magistratum ciuilem hæc in hæreticos animaduersio pertineat, neque an occidere hæreticos liceat, (de his enim suo loco sigillatim agemus,) sed de eo disseritur, an idcirco nefas sit in hæreticos animaduertere, quòd hac ratione vis aliqua ipsorum conscientiis afferti videatur: Deus autem (ut ait vester Eleutherius) liberum & non coactū cor vult habere. Hoc nefas esse dicitis, idque vt in Ecclesiam Dei inuehatis

Rom.7.

Rom.8.c.14.

Rom.7.d.24.

quiduis sentiendi licentiam. Ego verò necessariò & utiliter id in Ecclesia Dei fieri, & semper factum esse affirmo. Atque, vt finem tandem faciam in hac quæstionis nostræ parte vestris calumniis & vanis cauillationibus respondendi, hæc vobis Augustini voce respondeo, Quod autem vobis videtur, inquit ille, inuitos ad veritatem non esse cogendos: erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei, qui eos volentes facit, dum coguntur inuiti.

Contra Gaudens  
tui epistolam se-  
cundam lib.  
2. cap. 17.  
»  
»  
»  
»  
»

*Hæretorum punitionem ad ciuilē Magistratum non pertinet  
re quibus argumentis doceant aduersarij.*

Et hæc quidē sunt firmissimæ illæ rationes (quantum ex Bellii farragine colligere licuit) quibus isti persuaderi posse Ecclesiæ Dei existimarunt, vt impunè illis concederent maiestatem Dei violare, & Ecclesiarum pacem ac concordiam perturbare. Nam hoc istis Satanæ emissariis propositum esse ut clementiæ prætextu innocentē religionem funditus, & ab ipsis fundamentis euertant, satis perspicuè, ni fallor, ostendimus. Nunc audiamus quibus argumentis contendant, etiam si nobis cōcederent puniendos esse hæreticos, hanc tamen animaduersionem ad ciuilem Magistratum non pertinere.

*Primum argumentum: spirituale Christi regnum non esse ex hoc mundo. Nam etiam ait Paulus arma militiæ nostræ non esse carnalia.*

*Absurdum est (aiunt) spirituale bellū terrestribus armis geri: Bellum est Christi, Christi armis gerendum. Testatur autem Dominus regnum suum non esse ex hoc mundo. Ego verò primùm ex istis quæro an re vera Christum mundi dominum ac iudicem esse confiteantur. Quòd si ita credunt, quæro quo pudore præcipuam mundi potest.*

h.i.

Ioh. 18. g. 3  
Refutatio

statem adeò angustis finibus circunscribant, ut àre  
 ligione prorsus segregent. Quasi verò gladius Ma-  
 gistratus, Dei gladius non sit, cuius est minister.  
 Nos quidem hoc fatemur, distincta esse Ecclesiasti-  
 cæ functionis, & ciuilis Magistratus munera: sed ut  
 diuersa sint, an ideo sunt inter se contraria, sicut Spi-  
 ritus Carni & Mundo repugnat, ac non potius ve-  
 lut diuersis itineribus ad ynam & eandem metam  
 pertingunt? Locum igitur illum in quo testatur  
 Christus regnum suum ex hoc mundo non esse:  
 quum ita explicatis ut propterea Magistratum ci-  
 uilem censeatis à religionis cura remouendū, pul-  
 cherimum & summa cōsolationis plenum Chri-  
 sti testimoniū nobis eripere conamini, Ecclesiā ve-  
 rò vtilissimo & planè, quoties ita Deo visum est,  
 necessario praesidio spoliatis. Nā siquidē Regnū ac  
 cipiatis pro eo quod à Rege possidetur, sanè Chri-  
 sto data est omnis in cælo & in terra potestas: &  
 eius iuris fiant participes quicunque Christo per-  
 fidem sunt coniuncti, quantunuis in speciem ab-  
 jecti sunt & contempti: estque ista insignis fide-  
 lium etiam in hoc mundo consolatio, quòd quum  
 cæteri nonnisi per tyrannidem & latrocinium re-  
 bus creatis fruantur, sibi tamen qui in Christo rece-  
 perunt ius illud quod in Adam amiserant, munda  
 & sanctificata sint omnia verbo Dei & oratione.  
 Quia tamen Mundus hoc Christi imperiū non a-  
 gnoscit, id est increduli & hypocritæ: & longè p̄r-  
 statius est regnum illud cæleste in quo iam regnat,  
 & ad quod nos vocat Christus, reliquos etiam ho-  
 stes suo tépore pedib⁹ suis subiecturus, ideò Chri-

stus præsentem suam & suorum conditionem considerans, quum illi obiiceretur violatæ Cæsaris maiestatis crimen, Regé se quidem esse testatus est, sed in Ecclesia sua, non in Mūdo: aut potius nō in Terra, sed in Cælo: quod & ipsum tamen sic intelligendum est, vt sciamus eum nunc quoque inuitis & frustrâ relunctantibus diabolis & impiis dominari, & quoties libuit externa etiā dominatione Ecclesiam suam ornare, tantum abest ut ciuilis Magistratus administratio à Christi regno sit aliena. Si autem Regni appellatione ipsam regnandi rationem intelligatis, ut de infidelibus Tyrannis hoc loco nihil dicam, Ciuilem & Ecclesiasticā iurisdictionem iam sæpè diximus distingui oportere. Sed quòd inde colligitis Magistratum, etiam si Christianus sit, ab Ecclesiæ negotiis ita remouendum, ut in hæreticos animaduertere non possit: non minus ineptum est quām si quis ratiocinetur oculum vel manuum vel pedum auxilio non indigere, propterea quòd horum membrorū distinctæ sunt actiones. Est autem hæc ratiocinatio idcirco inepta, quòd omnia membra quanuis vñibus distincta, tamen ad vnius corporis conseruationem & incolumentem respiciant. Atqui eadem etiam Ecclesiæ ratio est, cui conseruandæ & Ciuilis potestas, & Ecclesiasticum ministerium à Deo constitutum est, ita tamen ut, quoties Deo libuit, Ciuali potestate non modò non adiuante sed etiam repudiante, & (sicut superioribus annis contigit) publico Ministerio velut extinto, Ecclesiam nihilominus conseruet, sicut plurimos passim quanuis cæcos & claudos tamen in hac vita

1.Cor.11.6.12.

h.ii.

saluos & incolumes præstat. Loquitur ergo Christus non quatenus Deus est æternus, omnia reges & administrans, sed officium illud respiciens quo inter homines functus est, & etiam nunc hodie fungitur, quum sit vnicū Ecclesiæ caput, & Pontifex regnū in æternū. Verum enim est, quod tu, Monforti, impudissimè & impudentissimè calumniaris, nihil sibi sumere Ecclesiam quod sit proprium Magistratus: neque hoc efficere Magistratum quod ab Ecclesia peragatur. Ideoque palam se Regē esse fatetur Christus coram Pilato: sed ita ut Cæsaris maiestati, quæ & ipsa à Deo est, minime insidetur, neque de Regis imperio quicquā detrahatur, cui nimis & ipse ultra subiici non recusauit. Sed & aliæ causæ sunt cur regnum Christi ex hoc mundo esse non dicatur: illæ nimis propter quas dicuntur fideles ex mundo non esse: & Christus etiam ipse pro mundo non rogat. Reges enim mundi mutuis cædibus & rapinis orbem terrarum complēt, ut libidini suæ obsequantur: Christus autem Tyrannos, vel hac nostra ætate patiendo, vincit. Reges præsidiis humanis nituntur: Christus autem, quanvis hominum ministerio vtitur ad regnum suum propagandum & conferendum, quatenus expedire nouit, tamen tantum abest ut istis præsidiis nitatur, ut contrà plerunque abiectissimos quosque feligat, quibus potissimum Principes expugnet. Reges mundi commoda præsentis vitæ spectant: Christus autem quanvis omnia adiicit quæ necessaria sunt regnum Dei quærentibus, minime tamen nos retinet in terra, sed potius per crucem in cælum attollit. Iure igitur Christus re-

Calvinus cap.  
Institu. 8. sectio.  
170.

Iohann. 15. c. 19,  
& 17. b. 9.

1. Cor. 1. d. 27.

Matth. 6. d. 23.

gnum suum testatur ex hoc mundo non esse. Sed quorsum hoc ad id de quo differimus: Nam ex Tyrannorum more potestatem Magistratus metiri planè iniquissimum est. Quanuis autem Christus à Mundo oppugnetur, & patiendo vincat, minime tamen efficitur, si pius Ecclesiæ Magistratus à Deo concessus fuerit, nullas esse ipsius partes in ministerio Verbi aduersus præfractos hæreticos afferendo. Quanuis Christi regnum hominum subsidiis non nitatur, non tamē cōsequitur, Monforti, etiam ut rumparis, si à Domino offerantur, temerè esse repudianda: aut præter officium facere Verbi ministros, quum veteris Ecclesiæ exēplo, legitima Christiani magistratus præsidia petunt, ad Dei maiestatem & verbi Dei auctoritatē non crudeliter, ut vos calumniamini, sed iusta seueritate aduersum vos & vestri similes vindicandam, quibus ludus est Ecclesiam Dei malitiosè vexare, & verè fideles fidelium Ecclesiarum Pastores calumniis proscindere: nimirum ut sicut olim Philippus Athenienses, sic vos lupi Ecclesiæ gregem canum præsidiis destitutum inuadatis. Cæterū ex iis quæ diximus facile etiā intelligi potest quomodo intelligendum sit quod ait Apostolus, Arma scilicet militiæ suæ carnalia non esse, sed Deo potentia: id est sese non humana sed Diuina virtute niti. Generalem enim inde conclusionem elicere, quasi Deus in propagando Euangelio nihil eorum vñquam requirat quibus terrena regna conseruantur, sanè non potestis, quin pari ratione cum Magistratus externo præsilio etiam externam Verbi prædicationē, & Linguarū ac bo-

Concilii Carthaginensis Decrēto 95.

a. Cor. 10. a. 4

h iii.

narum artium cognitionem ex Ecclesia, tanquam  
inutilem, aut certe non ita necessariam eiiciatis. Et  
sanè vnum ex vestræ factionis principibus hoc di-  
gitare accepimus, sola biblia legi à Christianis oportere;  
ex quo quum quidam fortè quæreret cur ipse  
quum ita sentiret, paucis ante diebus publicum  
onus Græcos auctores profitendi tam cupidè rece-  
pisset: Quasi uero, inquit ille, futores sibi, ac non potius alijs  
quotidie calceos suere soleant. Quod quidem hic ~~magistratus~~ re-  
citare placuit, ut omnes quod sit istius optimi Ser-  
ueti fraterculi de rebus maximis iudiciū, & quām  
recta in suo administrando munere conscientia, li-  
quidò cognoscant. Sed ad rem redeamus, & Cleber-  
gii quoq; de uero, quoddā enthymema audiamus.

Secundum argumentum: Theologos posse absque præsidio Ma-  
gistratus doctrinam suam tueri, quā cæteræ artes hoc possint.  
Este (inquit Clebergius Magistratus compellans,) eo gladio contenti quem uobis tradidit Deus: punite latrones, pu-  
nите prodитores, falsos testes, et eius generis ceteros. Quod ad reli-  
gionem attinet, defendite pios aduersus aliorum iniurias, hoc ue-  
strum est officium: doctrina Theologiæ uestro gladio tractanda  
non est. alioquin si hoc à uobis obtinebunt Theologi, ut doctrinam  
suam armis tractetis, idem meritò postulare poterit medicus ut  
se armis defendatis aduersus aliorum med corum opiniones: idē  
Dialecticus, idem Orator, et cæteræ artes. Quod si h. artes tra-  
ctare ferro non potestis, ne Theologi am quidem, quippe que in uer-  
bis et spiritu sit non minus quam illæ. Quod si bonus medicus  
doctrinam suam scientia tueri satis potest sine præsidio Magistra-  
tus, cur non idem possit Theologus? Hactenus Clebergius, in  
cuius argumēto tria potissimum reprehēdo. Vnu,  
quod id ipsum assumit quod in quæstione positum  
est. Alteru, quod latronu, proditoru, & falsoru testiu-

numero hæreticos eximit, quibus tamē multo me-  
 lius hæc nomina conueniūt quàm vllis quātunlibet  
 sceleratis hominib⁹. Ecquod enim est sacrilegiū  
 maius quàm innocentes animas per fraudē abdu-  
 ctas nundinari, atque adeò ipsum verbum Dei cau-  
 ponari? Ecquæ perfidiosior proditio quàm Ecclesiā,  
 cui te amicissimum simules, quantum in te est Sata-  
 næ vexādam & diripiendam exponere? Ecquæ ma-  
 ior aut periculosior falsitas quàm vtriusq; fœderis  
 & æternæ vitæ Tabulas falsissimis interpretationi-  
 bus corrumpere? Et tamē ( si Clebergio credimus)  
 hæretici piis hominibus nullam faciunt iniuriam.  
 Immò verò si quis piorum Ministrorum aduersus  
 eorum audaciam, quam repetitis admonitionibus  
 accenderit potius quàm extinxerit, legitimum Ma-  
 gistratus præsidium petat, statim crudelis & imma-  
 nis dicetur. Tertium, quòd inuidiosè nos calum-  
 niatur quasi Christianam doctrinam armis & fer-  
 ro tractandam censeamus. Vnde verò, Clebergi,  
 aut ex quo nostro facto non dico colligere, sed suspi-  
 cari hoc mendacium potuisti? Sed apertior est hæc  
 calūnia quàm vt refutatione indigeat. Neque enim  
 volumus Christianam legem armis constitui aut  
 propagari, sed ex solo Dei verbo diligēter & fideli-  
 ter explicari. Noluimus tamen, quum cætera male-  
 ficia auctoritate Magistratus puniuntur, hæreticos  
 quibusvis furibus, adulteris, prædonib⁹, atque adeò  
 parricidis execrabiliores, impunè per simplicitatis  
 & clementiæ speciem, Ecclesiam Dei populari. Et  
 quia ipsa experientia docet istos Ecclesiæ iudiciis ni-  
 hil prorsus commoueri, idcirco legitimam Magi-  
     h.iii.

stratus potestatem appellamus, vt inquit Augustinus ad Demetrium, non vt illos persequamur, sed vt nos legitimo Dei præsidio tueamur: neque, vt idem ad Bonifacium scribit, de Maximiano Vagien si loquens, vlciscēdi nostri, sed tuendæ Ecclesiæ causa, quæ nobis est à Deo commendata. Quod autem attinet ad ipsum entyphema, quanuis nemo, vt opinor, ignoret quum à Clebergio cæteræ disciplinæ cum Theologia comparantur, iniquissimam esse rerum prorsus dissimilium contéctionem, tamen hoc quoque affirmare non dubito, quum Reipublicæ magnopere intersit vt bonæ illæ artes ad eius incolumentem & ornamenntum planè necessariæ fideliter doceantur, harum etiam rerum curam vel præcipuè ad Magistratum ciuilem pertinere. Et sanè boni omnes Principes, ac ciuium suorū amantes, & scholas constituerunt, & bonarū artium professores omni liberalitatis genere sunt complexi. Quorum exemplum secuta Bernensis illustrissima Respublica paucis ab hinc annis in hac Lausannensi ciuitate, trium Linguarum, & omnium bonarum artium ludum aperuit, honestissima proposita mercede, & sanctissimis perscriptis legibus, ex quarum præscripto Academia gubernetur. Neque id dunta sat in nobilibus illis disciplinis, sed etiam in abiectissimis quibusvis artificiis, ex edicto Magistratum obseruari solet, in iis quidē ciuitatibus quæ bene sunt constitutæ: vt non temerè quodus artificium cuiilibet exercere liceat, sed iis demùm quorum industria fuerit ab iis explorata quos artificii Magistros appellant. In istis autem Clebergi, quid

tandem est quod meritò reprehendas: an non potius  
bonorum omnium Regum exemplo conuinceris?  
Nam, ut Constatinum, Theodosium, Martianum,  
Iustinianum omittam, quos ut immoderatos accusas:  
an eos etiam reprehendes quorum factum Spiritus sancti voce prædicatur? Quid enim: an præter officium fecit Dauid quum Leuitarū ordines constitueret: an Salomon, quum Abiathari sacerdotiū abrogaret: an Asa, quum in eos qui Deum Israelis non quærerent, capitale edictum constitueret: an Iosaphat quum missis per singulas ciuitates sacerdotibus populum erudiendū curaret: an Ezechias, quum domum Domini mundaret: an Osias, quum omnes Israelitas cogeret Domino seruire? An tibi potius Clebergi, & aliquot tuæ factionis hominibus de Magistratus officio imperitè & impudenter differentibus credendū censemus? Hic enim scio quid ridiculus ille Monfortius respondere soleat, *veteris saliæ et Testameti gladium, figuram fuisse uerbi Dei, cuius gladius in Nuevo testamento usurpandus erat: de quo commento alibi, ni fallor, cōmodius differemus.* Nunc verò hoc vnum respondeo, Christū de ciuilis Magistratus iure nihil prorsus detraxisse: neque hīc à nobis quæri an Magistratui occidere, sed an punire hæreticos liceat. Hoc negant isti clementes Academicī, quum de cæteris rebus nihil audeant affirmare. Nos verò præcipuum hoc esse Magistratus munus affirmamus, idque pios omnes Reges factitasse ipsius Dei testimonio comprehabatos. Iudicet nunc Ecclesia istisne potius quam Spiritui sancto sit creditum.

1. Para. 23. 24. 25.

26.

1. Reg 2.d. 26.

2. Paral. 15. c. 13.

Ibidem 17. c. 9.

Ibidem 29. a. 5.  
& 34. g. 32.

Tertium argumentum: A Christi & Apostolorum exemplo.

Accedamus ad aliud eiusdē Clebergii argumentum. Potuit Christus, inquit ille, doctrinā suam tueri sine praesidio Magistratus, potuerunt Apostoli, poterunt etiam eorum imitatores. Sed & Monfortius: Debet, inquit, Magistratus contra uim & iniuriā tueri bonos (apud istos autem, hæretici nullam uim aut iniuriā faciunt) sed bonos ui facere, aut religionem ferro tradere, non item. alioquin sequitur, ut neque Christus ipse fuerit satis armatus, neque Apostolos satis armauerit. Et paulò post, simus (ait) contenti ijs armis quæ Apostolis suis Christus tradidit, præsertim quum dictimus sacras Scripturas esse perfectas, neque quicquam addendum aut detrahendum. Hæc illi. Nos verò istam calumniam refutaturi, primum omnium admonemus hīc à nobis non quaeri quid possit Christus, quid Apostoli, quid vera Ecclesia. Neque enim dubitamus quin sit infinita Christi potestas in Ecclesia sua conseruanda, & satis intelligimus non tantūm Apostolos, sed omnes adhuc fideles Ministros aduersus omnes Mundi insultus sola Dei gratia fretos, imperterritos & iniurias perstitis. De his, inquam, à nobis non quaeritur, quū minime sint ambigua. Sed quomodo Christus Ecclesiā velit administrari, an solo Verbi ministerio, an verò etiam externa alia potestate, cuius minister est Magistratus, illud est de quo differere constituimus. Dico igitur hūc ordinem fuisse iam inde ab ipso mundi initio à Deo in Ecclesia constitutum, vt præter ministeriū Verbi, externa etiam potestate, quā generali vocabulo Gladiū vocamus, aduersus impios esset armata. Fateor tamen huius potestatis & Gladii non semper in Ecclesia ministrum fuisse ciuilem Magistratum, sed interdum

quidem, cessantibus scilicet Principibus aut Ecclesiā Dei oppugnantibus, Angelos ipsos à Deo mis-  
sos ut aduersus Ecclesiæ hostes eo munere fungerē  
tur: interdum verò singulari quodam priuilegio  
quosdam Verbi ministros vtraque tum Ecclesiastica  
tum Ciuitati potestate ad piorum defensionem  
armatos. Ac utriusque quidem generis animaduer-  
sionum exempla vetus Testamentum nobis pluri-  
ma suppeditat, quæ minime necesse est commemo-  
rare. Quia verò aduersarii hæc quasi téporaria elu-  
dunt, age, consideremus an à Christi aduentu, vlo-  
vnquā tempore Ecclesia externæ & ciuilis potesta-  
tis præsidio caruerit, tum quoque quum à Cæsari-  
bus crudelissimè fuit vexata. Cedò igitur, Christus  
quo iure flagellum bis corripuit: quo iure Petrus  
Ananiam & Sapphirā occidit: quo iure Paulus Ely-  
mam excæcauit: num Ecclesiastici ministerii: Mini-  
me profectò, nisi iurisditiones confundas. ergo ci-  
uilis Magistratus iure. Nihil enim est tertium. Hæc  
tamen, fateor, potestas in ministris Verbi extraor-  
dinaria fuit. Itaque quòd hæc profero, idcirco fa-  
cio, non ut de ciuilis Magistratus iure quicquam  
detrahām, aut ministerio Ecclesiastico quicquam  
adiiciam, sed ut istorū calumniam refellam. Quum  
enim Dominum ostendo, quāuis non semper, ipsorum  
Magistratum operam, omnibus tamen ætati  
bus eam potestatem cuius ordinarius minister est  
Magistratus, prout expedire nouit, Ecclesiæ suæ cō-  
seruandæ adhibuisse, apparet, ni fallor, falsam istorū  
doctrinam esse qui Christi & veteris Ecclesiæ exem-  
plum prætexunt, ut solo Verbi ministerio doceant

Iohann. 2.c.14.  
Matth. 21.a.12.  
Acto. 5.a.1.  
Ibidem 13.b.11.

Ecclesiam regi oportere. Idque ut clarius apparet,  
 dico eo ipso tempore quo Christi regnum i<sup>u</sup> palam  
 & ex professo oppugnarunt qui tueri debuerat, Do-  
 minum sic Ecclesiæ suæ cōsuluisse, vt externæ etiā  
 potestatis & animaduersionis nouam quādam spe-  
 ciem, frustrà reluctantibus mundi Principibus, ex-  
 tare vellet. Hæc enim est quā Paulus *Ad Cor. 12. b. 10.*  
 auctoritate intelligit, & inter Spiritus dona recēset, qui-  
 bus Dominus veluti nascentem Ecclesiam confir-  
 mabat. Ex quo efficitur cōtra istorum opinionem,  
 quum hunc ordinem videamus à Deo in Ecclesia  
 constitutum, vt præter Verbi ministerium, etiam  
 externorum suppliciorum exemplis homines im-  
 pii & seditiosi coērcerentur, eos qui Magistratum,  
 eius potestatis ordinarium ministrum, vetant hæ-  
 reticos attingere, non secus quām si iure gentium fa-  
 cri & inuiolabiles essent: eos, inquā, quum ordinem  
 à Deo constitutum, & quanuis diuersē, tamen sem-  
 per conseruatum violent, ab ipso Magistratu seue-  
 rē esse castigandos, vt ea disciplina quam oppu-  
 gnāt, iusta ipsorū animaduersione fanciatur. Nam  
 vt paucis hæc omnia complectar, quanuis, quoties  
 & quandiu Domino libuit, Magistratus Ecclesiam  
 non adiuerint, sed oppugnarint, nunquam tamen  
 eorum potestas Ecclesiæ defuit. Deinde etiā si Chri-  
 sti & Apostolorum tempore defuisse vobis conce-  
 derem, quis nisi amēs & insanus ex hoc vel illo tem-  
 pore, quoad externam Ecclesiæ politiam attinet,  
 perpetuam eius administrandæ rationem ineat: Im-  
 mó verò id facere quid aliud est quām certam regu-  
 lam Christo præscribere: Piscatores erant Aposto-

li:& regnum Dei, inquit Paulus, nō est in sermone. Quid igitur? an eloquentiam in Chrysostomo, an singulare acumen, & bonarum artium peritiam in Augustino: ( nam alios penē innumerabiles prætermitto humanis præsidiis instructissimos ) an inquam, in illis hominibus præclara illa Dei gloriæ instrumenta non agnoscemus? Perpetua certè est Ecclesia, & sola Dei virtute nititur, sed tamen externo hominum ministerio propagatur. Deus autem hanc suam virtutem pro sua infinita sapientia momentis ac temporibus distributis diuersè declarat. Itaque nunc erigitur & triumphat Ecclesia, nunc deiicitur & opprimitur, ut penē videri possit interiisse: nunc peregrinatur, nunc ad tempus certo loco consistit: interdum à piis Principibus vel externis vel domesticis fouetur, interdum ab iisdem durissimè tractatur. Cuius mutationis exemplum nobis tristissimum hodie præbet Anglia, Eduardo illo præstatiſſimo Rege nuper florentissima, nunc verò repente ita misere, ita crudeliter, ita immaniter vexata & excarnificata, ut sex mensium spatio in vna ea insula penē plura sint in nobilissimas etiam & innocētissimas fœminas Scythicæ immunitatis & aſpiciæ edita exempla, quām in tota Turcarum historia legātur. Sic igitur Domino visum est ad Euangeli promulgationem illam mirificam Apostolos nudos prorsus & inermes adhibere, quibus potentissima mundi regna debellaret. Ita enim voluit Diuinæ & cælestis huius doctrinæ vim & præstantiam mundo patefacere. Idem postea suo tempore Reges excitauit, quorum præsidio Eccle-

siam suam tutaretur: minime id quidem quasi spiri-  
tualis illa virtus non sufficiat ad consiliorum de-  
structionem, & destructionem munitionū: aut qua-  
si Christus & Apostoli satis idoneis armis instructi  
non fuerint: ( hoc enim , Monforti , calumniosē &  
Sophisticē colligis ) sed quia , quoties Domino li-  
buit , externis etiam hominum præfidiis vult suos  
conseruari , vt ad tempus respirēt , & cor Regum in  
manu Dei esse re ipsa cognoscāt , quo magis postea  
in afflictionibus confirmantur . Ea igitur præsidia  
quum nobis offert Dominus , vt vtilia , & Ecclesiæ,  
postquam ita Deo visum est , planè necessaria , tam  
libenter quærimus & amplectimur , quām vos su-  
perbè contemnitis & repudiatis . Amplectimur au-  
tem non vt ad fidem cogamus : cogi enim ad fidem  
nemo potest: neque quòd lucem reformidemus: ne-  
que enim clàm docemus , aut falsa nomina , exéplo  
vestro , subiicere didicimus : sed vt contumaces illi  
maiestatis Dei & ministerii Ecclesiastici , ipsorum  
que adeò Principum cōtemptores , iustis pœnis affi-  
ciantur . Quanuis autē ista , ni fallor , ad vestrum hoc  
refutandum argumentum satis sufficient , placet ta-  
men Augustini verba de hac eadem controversia

**Epiſtola 50.  
ad Bonifa-  
ciūm.**

„ subiicere . Sunt autem eiusmodi . Quod dicunt qui  
„ contrà suas impietas leges iustas institui nolunt ,  
„ non petiſſe à Regibus terræ Apostolos talia: non  
„ considerant aliud fuisse tunc temporis , & omnia  
„ suis conuenire téporibus . Quis enim tunc in Chri-  
„ stum crediderat Imperator ? quis pro pietate cōtra  
„ impietatem leges ferendo seruiret ? tunc enim ad-  
„ huc illud Propheticū implebatur , Quare fremue-

runt ḡetes, & populi meditati sunt inania? Nondum enim agebatur quod paulò p̄st in eodem Psalmo dicitur, Et nūc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quomodo ergo Reges seruiūt in timore, nisi ea quæ contra Domini iussa fuerint, religiosa seueritate prohibendo & plectendo? Alter enim seruit quia homo est, aliter quia Rex est. Quia homo est, seruit viuendo fideliter: quia Rex est, seruit leges iusta præcipientes, & contraria prohibentes, conuenienti vigore sanciendo. In hoc ergo seruiunt Domino Reges, in quantum sunt Reges, quum ea faciunt ad seruiendum illi, quæ non faciunt nisi Reges. Hactenus Augustinus ille, cuius auctoritate vos abuti non pudet ut simplicibus & imperitis fucum faciatis. Ex ipsius autem verbis cum Carthaginensi Concilio, cui interfuit, planè consentientibus satis liquet nihil vos conari quod non iampridem Orthodoxæ Ecclesiæ iudicio sit explosum: nos autem, quum in præfractos & insanabiles hæreticos legitimū & à Deo constitutū Magistratus subsidiū quærimus, nihil facere quod non sit iam olim verbo Dei, & sanctorum Patrum auctoritate confirmatum.

*Quartum argumentum: Quia Mundus de hæresi iudicare non potest.*

Sed age, nouum aliud argumentum audiamus. *Mundus*, inquit Eleutherius, *de hæresi iudicare non potest, non magis quam caro de spiritu, et tenebrae de luce. Magnū profecto arcanum. Quid autem inde consequitur? Mundum scilicet de ijs rebus sententiam ferre non posse, quas non modò non cognoscit, sed etiam usūstilitatem derider, et pro mendacio carpit. Esto ve-* Refutatio.

rò Eleutheri: Mūdus non modò non intelligat, sed  
 etiam persequatur quæ Dei sunt: an inde efficitur  
 Christiano Magistratui non licere in hæreticos ex  
 verbo Dei rite conuictos & nihilominus pertina-  
 ces animaduertere? Nos igitur hoc argumentū iam  
 antè suo loco diluimus. Docuimus enim Spiritum  
 Dei minime otiosum esse in Ecclesia, sed Dei filios,  
 qui ex hoc Mūdo non sunt, inducere in omnem ve-  
 ritatem. Nunc autem ut hac etiā in parte, id est quo  
 ad Magistratus officium attinet, ineptum esse hoc  
 argumentum omnes intelligent, respondeo aliud  
 esse de hæresibus quam de hæreticis cognoscere, a-  
 liud de blasphemia quam de blasphemō. Quū enim  
 de hæresi, aut blasphemia ambigitur, de re ipsa  
 quæritur, id est de capite aliquo religionis: quæ quū  
 in utriusque foederis Tabulis perscripta sit, & earū  
 explicatio Ecclesiastici sit muneris, debet Ecclesia  
 pro loci & temporis ratione, & negotii qualitate ri-  
 tē & placidē ex verbo Dei controuersiam decide-  
 re, & omnem operam adhibere ut qui in errore ver-  
 satur, errorem suum intelligat, & resipiscat. Magi-  
 stratus verò officium est de blasphemō ipso & hære-  
 tico cognoscere, & pro criminis grauitate, violatio-  
 nem Diuinæ maiestatis ab improbitate vel affecta-  
 ta ignorantia profectam, & disciplinæ Ecclesiasti-  
 cæ contemptum vindicare. Itaque non Mūdō, sed  
 verbo Dei hæreses iudicium: Ministro autē Dei,  
 hæreticorum cognitionem committimus. Sed gra-  
 uiter in hac re, fateor, à Regibus & Principibus  
 plerisque peccari solet, quorum tamen exem-  
 plū cæteros pios & verè Christianos Principes ab

officio deterrere non debet: imò verò, vt inquit  
 ille, ἀλλὰ χρὴ φροντίζειν αὐτῶν, ἀλλ' οὐδέποτε ἵεται. Solet enim  
 hodie in Christi membris concidendis eadem iu-  
 dicii forma vsurpari quæ in Christo capite crucifi-  
 gendo fuit seruata. Christum Iudæi Pilato tradūt,  
 partim per inuidiam, partim quod zelum quidem  
 haberent, sed non secundum scientiam. Pilatus ve-  
 rò nihil ad se pertinere arbitratus quam verè cla-  
 maretur, Secundum Legem nostram debet mori,  
 quia Filium Dei se fecit: quum alterum postea cri-  
 men de affectato regno afferretur, sibi metuens ab  
 ira Cæsaris, Christum adiudicat eorum petitioni, à  
 quibus per inuidiam traditum esse sciebat. Sic etiā  
 hodie, si quis aduersus blasphemias Romani Anti-  
 christi mutire sit ausus, statim capitur: adest deinde  
 Dominicanus aliquis Antichristi emissarius, Ho-  
 riūs puta, vel Rutherus, vel Diuolæus, aut ex Sor-  
 bonica fæce Picardus, vel Mallari⁹ (de Gallis enim  
 meis loquor) homines partim ita celebres flagitiis  
 suis, vt qui eos hypocritas vocet, magnā ipsis iniu-  
 riā faciat: partim ita rudes & imperiti, vt ipsis etiā  
 mulierculis risum moueāt. Illi igitur initio leuiter  
 tētare solent an possit de sententia deduci, opposita  
 scilicet vetere consuetudine Ecclesiæ, quam vocat,  
 aut rancidis aliquot argumentis millies refutatis.  
 Id si obtinuerint, & miser ille qui captus est pecu-  
 nia vitam redemerit, hæresi publicè abiurata ad  
 tritemes damnatur, aut interdum etiam euadit: sin  
 minus, ad ignem nihilominus trahitur, sed neque  
 lingua præciditur, neque viuus crematur. Sinautē  
 felix Dei martyr in sententia permanserit: isti quū

i.i.

nihil habeant quod verbo Dei possint opponere, illico clamitantes hæc omnia iampridem esse decisa, & matrem suam Sorbonicam Facultatem vociferantes, ad conuitia, ad ligna, ad flamas conuertuntur. Interim strenui aliquot proceres miserorum fortunis inhiantes Principem hortati non desinunt ut seditiones istos & blasphemos scuerè coercendos curet. Illico adsunt edicta non atramento, sed sanguine perscripta, quibus iubetur Pilatus Christum iterum crucifigere, alioqui non fore Cæsaris animum. Instant etiam Cardinales, Pseudopiscopi, Pseudopresbyteri, Canonici, Monachi, & cætera Antichristi mancipia. Iudices autem, quanuis hæc omnia vel inuiti intelligent, atque adeò oculis suis cernant, tamen vel quia prædæ sunt participes, vel ut Regis ac procerum amicitiam sibi concilient, vel, si qui sunt potius imperiti quam improbi, in Theologorum conscientia acquiescentes, innocentem hominem carnificibus tradunt. Hæc illorum tyrannis est. In nostris autem iudiciis quæ in non-nulos Anabaptistas pertinacissimos & impudentissimos, & præterea in vnum aut alterum exercimus, dicite quæso, quid tandem simile reperiri possit. Ecquis enim ob simplicem errorem comprehensus? ecquis non est primùm blandè & Christianè appellatus? quando ex hominum auctoritate aut traditionibus, aut consuetudine de hæresi est iudicatum? quis non dico innocentum, sed nocentissimum etiam hominum vitæ vel bonis est insidatus? Ostendite denique vel in ipsa mostrosissimi & perditissimi illius Serueti causa quid sit à Mini-

stis prætermissum ut hominem ab errore reuocarent: quid à clarissimo Senatu præteritum ne quid temerè aut parum religiosè fieret. Nam quod in angulis garris istic soletis ut optimis & verè fidelibus Dei seruis inuidia confletur, id non totius modò ciuitatis Genevensis, sed omnium etiam Helvetiæ Ecclesiarum testimonio redarguitur. Quintam quum quicquid facitis, clam & dissimulatis nominibus faciatis, nemo est tam cæcus qui hæc omnia diabolico instructu à vobis fieri non animaduertat. Et adhuc clamabitis mundum de hæresibus iudicare non posse: quasi nos mundo ac non potius Deo & ipsius Ministris ac interpretibus totam harum rerum cognitionem tribuamus?

*Quintum argumentum: Quia plerique Principes sua potestate abutuntur.*

At enim, aiunt nonnulli alioquin boni viri & planè istis dissimiles, Quum nulla sit auis rarior quam bonus Princeps, magnum periculum est ne furioso gladium porrigas, quo postea boni viri iugulentur, & in ea ipsa pericula incidas, quæ paulò antè commemorasti. Habet autem coloris aliquid, apud eos præfertim qui ad Papisticæ illius carnificinæ mentionem meritò cohorrescunt. Sed eos rogo ut rem totam mecum attentius considerent. Nam si hæc ratio valet, mirum est profectò infinitam illam Dei sapientiam, quum in blasphemos, & eos qui à vero Dei cultu quoquomodo abducent, tam acrem & seueram legem constitueret, periculum istud vel non prouidisse, vel contempisse. Deinde verò si hoc admittas, quid tandem in ylla

*Deut. 13.*

Reipublicæ parte cōstituetur? Quid rarius est in orbe terrarū fidelibus Verbi ministris? quid frequenterius pseudoprophetis? Ergo interpretādæ religio, nis cura nulli committatur. Quis angulus terrarum à tyrannide est immunis? Ergo nullis tribuat in alios potestas. Nam siue vnius, siue paucorū, siue populi imperium deligas, tyrannidis periculum vitare non possis. Quid frequentius est iudiciorum constupratione? Ergo nulli sēdeant iudices, præsertim in re capitali. Ensibus & gladiis infiniti homines priuatas iniurias cum Reipublicæ perturbatione vlciscuntur. Ergo gladiorum & ensium usus interdicatur. Plenæ sunt ciuitates ebriosis hominibus. Ergo ex Cæsarī illius edicto vites nō ferantur, & quæ consitæ sunt extirpentur. Quis verò istam rerum omnium perturbationem ferat? Neque causa est cur iniquam esse istam comparationem arbitremur. Nam multo minore cum incommodo mundus, & Principibus, & iudicibus, & gladiis, & vino, cæteris denique rebus omnibus careat quam Ecclesiæ ministerio. Ecclesiæ verò ministerium, quantum in se est, tollunt qui aduersus præfractos eius contemptores nullum in Magistratu subsidium esse volunt. Certè, ut paucis omnia comprehendam, omnes prorsus homines, ipsi inque adeò vniuersitatē funditus deleri præstiterit, quam illud, non dico interire, (nam interire nō potest) sed inter homines summo studio non retineri, cuius præcipuè causa condita sunt omnia, id est gloriæ Dei per Euangelicum ministerium illustrationem. Ex quo efficitur quotidianam Tyrann-

Psal. 2. 6. 15.

norum crudelitatem, aut quorundam præpostorum  
zelū minime impedire quominus boni & pii Prin-  
cipes Filium osculentur: id est potestate sibi à Deo  
concessa in eos moderate vtantur, quos diabolus  
summittit, vt effræni audacia, & affectata ignoran-  
tia ipsam, si fieri possit, religionem subuertat. Quid  
si igitur Dominus Principes nobis dederit qui vel  
aperta crudelitate, vel crassa ignorantia, Christi re-  
gnum oppugnent? Primùm omnium ad preces &  
lachrymas confugiat Ecclesia, & vitam emendet.  
Hæc enim sunt fidelium arma quibus Mundi furo-  
res expugnant. Interim inferior Magistratus sum-  
ma quidem cum prudentia & moderatione, sed con-  
stanter tamen & cordatè puram religionem in sua  
ditione tueri debet, quoad eius fieri potest. Cuius rei  
insigne exemplum nostris téporibus præbuit Ma-  
gdeburgensis illa ciuitas ad Albim sita: cuius tamē  
nomine Bellum abuti non puduit, vt eam doctrinam  
stabiliret, quæ si recepta illic esset, nunquam  
fortissimi eius vrbis ciues pro vera religione aper-  
tissima quæque pericula subiissent. Quanuis igitur  
plerique Principes officio suo abutatur, quisquis ta-  
men Christiani Magistratus opem à Deo aduersus  
externam vim aut infidelium aut hæreticorum, ob-  
latam, repudiandam existimat, eum ego affirmo ut-  
tilissimo, & (quoties ita Domino placuit) necessario  
præsidio Ecclesiam Dei exarmare.

*Sextum argumentum: A veteris Ecclesiæ auctoritate.*

Supereft veteris Ecclesiæ auctoritas quam no-  
stri Academicí nobis opponunt, vt in causa reli-  
gionis nullas esse ciuilis Magistratus partes doceat,

Contendit enim Eleutherius, *præter doctrinam Christi, & antiquæ Ecclesiæ exempla, etiā antiquos Doctores censuisse hæreticos excommunicatione tantum puniendos.* Leges enim illas Theodosii, Valentiniani, Martiani, & cæterorum aduersus omnes Scripturas & antiquos Canones esse prescriptas. Hoc autem quum dicit Eleutherius, certè Magistratus arcet ab omni hæreticoru coercione, quū excōmunicatio, omniū cōfessione, ad solam Ecclesiasticā iurisdictionē pertineat. Hæc igitur in summa, & totidem penè verbis Eleutherius, in quo haud satis scio impudētiam an ignorātiā magis admirari debeam. Nam certè vel ex prima eorum Canonum inspectione quos profert, constare liquidò potest istum vel prorsus ~~adīdōnō~~ esse, vel mirabiliter impudentem, qui non dubitet iis armis pugnare quibus maxime oppugnatur. Sed & Bellii, qui farraginem istam collegit, quale sit iudicium satis assequi non possum. Nam si hoc verum est, hæreticos ex veteris Ecclesiæ consuetudine fuisse Ecclesiarum communione ciecos, an est quisquam qui dubitet Bellum, *quum hæreticos dicit suæ libertati relinquentes: quum eos ut crudeles accusat qui se hæreticorum conatribus opponunt: quum hæreticos prædicat genus hominum esse minime omnium metuendum: non multo minus insanum esse quam Lycurgum illū Thracem quem fabulantur poetæ sibi ipsi sua bipenni tibias succidisse?* Sed ita nimirum mendaces solent, quantumvis iam saepe admoniti mendacem memorem esse oportere. Nunc ad rem accedamus. Quod Scripturam iactant, in eo Satanam ipsum superat. Is enim quum Dominum tentaret, Scripturam quidem corrupit, sed tamē inane ipsius nomen non

opposuit. Isti verò quum Scripturæ nomē habeant  
 in ore, tamē ne vnum quidem locum proferunt ex  
 quo constare possit Magistratus à religionis admi-  
 nistratione prorsus esse remouendos, vel hæreticos  
 sola excommunicatione coërcendos. Itaque quum  
 hac in parte nihil mihi reliquerint refellendū, non  
 committam vt ipsorum insaniam videar imitatus.  
 Quod autem ad Patres attinet, possem quidem ego  
 exceptione vti quam toties Augustinus ipse aduersus  
 Pelagianos affert, haëtenus scilicet valere Pa-  
 trum auctoritatem quatenus cum verbo Dei con-  
 sentiunt: sed hanc defensionem quærere non co-  
 gor: Patres enim ipsos defendere potius aduersus  
 istorum impudétiām constitui quām reprehende-  
 re, quasi à verbo Dei discesserint. Id autē perspicuè  
 apparebit ex iis Canonibus qui ab istis proferūtur.  
 Sic igitur Ambrosius in Canone, Quæ dignior, 24. ••  
 quæst. 1. Si quæst, inquit, Ecclesia quæ fidē respuat, ••  
 nec Apostolicæ prædicationis fundamēta retineat, ••  
 ne quā labē perfidiæ possit aspergere, deserenda est: ••  
 quod Apostolus quoque euidenter asseruit. Orige- ••  
 nes autem in Canone, Quum aliquis, 24. quæst. 3., ••  
 Quum aliquis, inquit, exit à veritate, à timore Dei, ••  
 à fide, à charitate, exit de castris Ecclesiæ, etiam si ••  
 voce Episcopi non abiiciatur. Hinc verò quid effi- ••  
 citur? Nempe veteris Ecclesiæ consuetudinem non  
 fuisse, suæ quenquā fidei relinquere, aut controuer-  
 siam de Trinitate aduersus Arrianos & cætera hæ-  
 reticorum agmina: de Iustificatione & Libero arbi-  
 trio aduersus Pelagianos: de Deo aduersus Mani-  
 chæos, vt nimium obscurè traditam non explicat.

re, sed potius ex verbo Dei hæc omnia decidere, & eos qui præfraðè consensum Ecclesiæ lacerarent, anathemate iugulare. Hoc, inquam, ex his duobus locis colligi potest. Eleutherius verò ratiocinatur, quia excommunicātur ab Ecclesia, idcirco esse tantum excommunicandos, & proinde à Magistratu attingi non debere: eadem scilicet argumentandi ratione qua colligunt non esse coërcendos hæreticos à Magistratu, quia Paulus ad Titum scribens non iussit occidi, sed deuitari: & Christus non iussit occidi, sed caueri pseudoprophetas. Id autem quām ineptè colligatur nemo non videt, opinor, quum illic de officio Ecclesiæ, nō de munere ciuilis Magistratus agatur: & ita veteres iudicasse satis declarant omnium exempla. Nam & Constantinus Arium à Synodo damnatum in exilium pepulit, & Aëtium Constantius: & Theodosius alioqui clementior in hæreticos, Apollinarem & Nestorium: vt reliquas historias prætermittā de quibus suo loco dicemus. Notum enim est non modò quid constituerint Valentianus & Martianus aduersus Manetis & Eutychetis sectatores, sed etiam quām acerbis poenis Cōstātinus, Theodosius, Iustinianus hæreticos subiecerint. Sed operæ pretium est audire quid respondeat Eleutherius. *Istæ pœnæ, inquit, modum exædunt, suntque contra omnes scripturas, & antiquos Patres, atque contra ipsorum decretū. De Scripturis saepe iam respōdimus. Quia verò quosdam Canonas citat, paucis etiam de iis dicemus. Extat Canō, His à quibus, 23. quæst. 8. quo prohibetur ex Concilii Toletani sententia ne iudicium sanguinis, in quo scilicet de*

Nicephorus Ec  
cles. histo. lib. 8.  
cap. 8. & 43.  
Item 9. cap. 18.  
Item 12. cap. 29.

capite alicui<sup>o</sup> quæritur, Ecclesiasticis agitare liceat: id est, ut postea explicatur, quod morte plectendum est, sententia propria iudicare. Recte profectò, quum distinctas esse iurisdictiones oporteat. Sed quorsum hoc ad id de quo agimus? Extat alius Canō ex Ambrosio, 13. quæst. 3, in quo definitur pro vñsura haberi quicquid sorti accedit, etiam si pecunia non sit. An nō obsecro insanus Eleutherius qui ad propositam quæstionem hoc accommodet? Sed & Canonem alium citat cuius caput est, Si ecclesia, 23. quæst. 4, ex Augustini ad Bonifaciū Epistola quinquagesima excerptum: quam Epistolam quū optimus ille vir idcirco tantūm scripsiterit ut hoc ipsum aduersus Donatistas probaret quod nos aduersus istos Academicos probandū suscepimus, hæreticos scilicet Ecclesiasticam disciplinam contemnentes, Magistratus imperio esse coercendos: miror tantam fuisse istius impudentiam, ut etiam ex eius testimonio studuerit mendaciū suum confirmare. Quid enim? an nos tam stolidos esse credidit, ut illi statim crederemus? an verò tam parum in Augustini Epistolis versatos, ut apertam istam fraudem intelligere non possemus? Quid est autem imperitum, impudentem, sycophantam esse, si hoc non est: ibi, inquit, manifestè traditur Ecclesiam esse eam quæ persecutionem patitur, non quæ persequitur, qualis fuit Christi & Apostolorum. Os impudens! Hoc ipsum est quod eo ipso loco & aliis innumeris, totaque penè Causa 23 non defenditur, sed refutatur. Sic enim habet Augustinus ad verbum, Si Ecclesia vera ipsa est quæ persecutionem patitur, nō quæ facit, quæratur ab Apostolo quam Ec-

» clesiam significabat Sara quando persecutionem  
 » faciebat ancillæ . Et paulò pòst , Deinde quæ-  
 » ro , inquit, si boni & sancti viri nemini faciunt  
 » persecutionem, sed tantummodo patiuntur , cu-  
 » ius putant in Psalmo vocem esse, vbi legitur, Per-  
 » sequar inimicos meos , & comprehendam illos,  
 » & non conuertar donec deficiant : Ergo si verum  
 » discere vel agnoscere volumus , est persecutio in-  
 » iusta quam faciunt Ecclesiæ Christi impii : ista  
 » nanque beata est quæ persecutionem patitur pro-  
 » pter iustitiam. illi verò miseri , qui persecutionem  
 » patiuntur propter iniustitiam . Proinde ista per-  
 » sequitur diligēdo, illa sœuiendo: ista vt corrigat, illa  
 » vt euertat: ista vt reuocet ab errore, illa vt præcipi-  
 » tet in errorem . Hactenus Augustinus , cuius verba  
 exscripsi vt omnes intelligant qua fide hāc quæstio-  
 nem isti tractarint, quos non pudet tam impudēter  
 optimi viri scripta peruertere . Sed & in eo potest  
 manifestè redargui Eleutherius, quòd Pelagiū Pon-  
 tificem Romanum qui sub Iustiniano aut certè Ju-  
 stino vixit, prīmū dicit promulgasse vt si hæreti-  
 ci ad fidem Christianam rationibus adduci nollēt,  
 mundana potestas aduocaretur quæ illos ad id vi-  
 cogeret. Nam Pelagius Canonibus, Nō vos, &, De  
 Liguribus 23 quæst. , non vi cogi ad fidem hæreti-  
 cos , sed comprimi flagitat. atque vt Constantini,  
 Theodosii, Martiani exempla præterea, vt Chalce-  
 donensis Concilii decretum omittam quod affert  
 ipse Pelagius, id iam antè Aphricana Ecclesia con-  
 stituerat, Honorio xii, Theodosio v i i i. c o s s . vt  
 apparel ex Carthaginensis Concilii, cui Augustinus

interfuit, decreto 34, & 95, ut suam imperitiam cum summa impudentia coniunctā Eleutherius inficiari non possit. Desinite igitur tādem impudētissimi Sophistæ, desinite Patrum auctoritatē vestris erroribus prætexere, & maiore saltē pudore discite insanire, si quis insaniendi modus est, ne vos ipsis etiam mulierculis deridendos propinetis.

*An Magistratui non licet capitali supplicio in hæreticos animaduertere.*

Age verò nūc tertiam quæstionis propositæ partem consideremus, id est quibus demum argumentis probari soleat hæreticos, etiam si à Magistratu ciuili coercendi sint, tamen capitali supplicio non esse plectendos. Hic autē mihi negotium esse video non modò cum impudentissimis illis Academicis, sed etiam cum optimis quibusdam & doctissimis viris, qui propterea quòd cupiūt omnes ad Deum allici, & sunt ingenio admodū mansueto & leni, idcirco puniendos quidem arbitrātur hæreticos contumaciores à Magistratu ciuili, si nihil profecerit Ecclesiastica disciplina, sed tamen nunquam occidendos putant, ne pœnitentiæ spatiū nullum relinquatur. Itaque horum argumentis seorsim conabor respondere, ne bonis viris iniuriam faciam si cum istis impuris & blasphemis cōiungantur. Eos autem vehementer rogo & obtestor ut sibi persuadeant, quum hæreticos quosdam iure etiam occidi posse dicimus, nos nihil minus conari quām ad lanienam & carnificinam Christianos Magistratus incitare. Neque enim omnes sine discriminē ē medio tollendos censemus, vel indicta causa aut iudi-

cio ex authoritate hominum & traditionum consti-  
tuto, vlos damnados, vel temere & immoderate  
quicquam faciendum, ne aduersus eos quidem qui  
crudelissimam mortem sunt cōmeriti. Absit à no-  
bis hæc immanitas. Meminimus enim nos homi-  
nes esse, & Dei gratia, satis intelligimus neminem  
posse ad fidem cogi, & mites ac clementes esse Chri-  
stianos oportere. Sed hoc petimus, vt certus isti cle-  
mētiæ modus ex verbo Dei adhibeatur. scriptum  
est enim, Qui iustificat impium, & qui condemnat  
iustū, vterque abominabilis est Domino. I'etimus  
vt maior ouium quàm luporum ratio habeatur. pe-  
timus vt in eos qui Ecclesiæ lenitate & Principum  
clementia ad aliorum perniciem abutuntur, seuerè  
animaduertatur: petimus denique vt Christianam  
charitatē sciamus iniustitia non gaudere, & saltem  
iniuriis maiestati Dei per scelus & improbitatem  
factis commoueamur. An autem hæc quæ petimus  
iusta & æqua sint cognoscent, vt spero, si me placi-  
de audierint ipsorum argumentis respondentem,  
deinde etiam suo loco eas rationes afferentem qui-  
bus existimamus sententiam nostram confirmari.  
Quamobrem iterum ab iis peto vt hanc nostræ di-  
sputationis particulam, non contentionē cum ad-  
uersariis veritatis, sed amicā & fraternā collationē  
esse arbitrentur. Nam cum cæteris in rebus tum ve-  
rò maxime in religionis causa valere debet vetus il-  
lud dictum, Inter bonos bene agier oportet.

*Argumentum: Ex parola zizaniorum.*

Solent igitur tum à veteribus tum à recentiori-  
bus plurimis ad hanc opinionem de non occiden-

dis hæreticis confirmandam hæc verba accommo  
dari ex parabola zizaniorum petita. Serui autem  
dixerunt patrifamiliâs, Vis igitur vt abeentes col-  
ligamus zizania? At ille dixit, Non : ne colligentes  
zizania, eradiceris simul cum eis & triticum. Sinite  
vtraque simul crescere usque ad messem. Hæc au-  
tem verba quum noui nostri Academicici sic inter-  
pretentur, vt ex iis cupiant omnem disciplinam &  
Ciuilem & Ecclesiasticam euertere, aduersus quos  
sigillatim disputabimus, multo certe sunt æquiores  
ii qui primū omniū Ecclesiasticam coercionem  
non putat his verbis prohiberi : deinde ne Ciuilem  
quidē ab hæreticis puniendis remoueri, sed certis  
tantū limitibus definiri, vt Magistratus punire qui  
dem possit eos qui contumaciter, spreta Ecclesiasti-  
ca disciplina, pacem & consensum Ecclesiæ pertur-  
bant, ita tamen vt non occidat. Nam, inquiunt, etiā  
si separetur zizania, tamen sinūtur crescere quan-  
diu viuunt, & pœnitentiæ spatium relinquitur. Ego  
verò ab his peto, vt me benignè ferant ab ipsis non  
pertinaciter nec improbè, ita me bene Deus amet,  
sed veritatis studio modestè dissentientem. In pri-  
mis igitur in eo ab ipsis dissentio quod zizaniorum  
appellatione non solos hæreticos, id est eos qui in  
religionis doctrina ab Ecclesia pertinaciter & fa-  
ctiosè dissident, sed eos etiam omnes intelligi arbi-  
tror qui vitæ exemplo Ecclesiam offendunt, atque  
ad eos quoque infideles, si in infidelitate per-  
manserint : denique eos omnes quos ait Apostolus  
regnum Dei non esse consecuturos. Atque huic in-  
terpretationi cōfirmandæ non tantum adhibeo Au-

Matth.13. d.27.

"

"

"

"

Refutatio.

1. Cor. 6. b. 9.

gustini, & inter multos recentiores Lutheri in minoribus, quas vocat, Postillis auctoritatē, sed etiam aliquot firmas, ni fallor, & solidas rationes. Nam primum omnium per Agrum intelligitur, non Ecclesia, quæ minima pars est mundi, id est ea mundi pars in qua Euangelium purè annuntiatur: neque Animus noster, quanuis ita Theophylactus interpretetur, sed Mundus iste in quo homines & boni & mali versantur, ut Christus ipse docet. Iam verò seruanda est huius interpretationis analogia etiam in zizaniorum explicatione. Verùm si per Zizania hæreticos duntaxat intelligas, vnam tantum speциem malorum significauerit Paterfamiliās, eāmque Ecclesiæ, id est minimæ Mundi parti peculiarem. Deinde si Ager Mundus est, & hic Ager duobus tantum seminum generibus totus est consitus, tritico scilicet à Patrefamiliās, & zizaniis ab aduersario satis, ratio certè oppositionis flagitat ut si cut tritico significantur omnes filii regni, hoc est quicunque sunt vera Ecclesiæ mēbra, ita etiam zizania vocentur quicunque non sunt ex Ecclesia. Sunt autem malorum præter hæreticos plurimæ aliæ species intra ipsa quoque Ecclesiæ viscera regnantes, quas cur tandem quæso Paterfamiliās prætermisisset? Postremò Christus ipse auctor parabolæ, & idem optimus interpres, nōne disertè Triticum interpretatur iustos qui in regno Patris fulgebunt, Zizania verò omnia offendicula, & eos qui faciunt iniquitatem: eos nimirum omnes qui in Caminum ignis coniiciuntur. Nam duarum tantum specierum, earūmque oppositarum meminit.

Nulla igitur causa est, opinor, etiam si hanc parabolam de sola Ecclesia intelligas, propterea quod zizania dicuntur in medio tritici sata, cur solos haereticos per zizania accipias, quum soli haeretici non sint malum semen satum à diabolo, soli haeretici non sint Ecclesiæ offendicula, soli haeretici non faciant iniquitatem, soli denique haeretici cum fidelibus coniuncti totū Ecclesiæ corpus in hoc mundo non constituant. Hoc autem posito, per zizania intelligi omnes eos qui bonū semen non sunt, consequitur quod de haereticis non occidendis ex eo colligitur quod dixit Paterfamilias, Sinite crescere simul utraque: hoc, inquam, consequitur ad cæteras etiam scelerum species accommodari posse: quod tam absurdum est ut bonis & doctis hominibus nunquam in mentem venisse credam.

Præterea si verbis istis Patrifamilias, Magistratui quoque ciuili interdictum esset capitale in haereticos supplicium, idque addita ratione, ne cum zizaniis simul eradicetur & triticum, id est ne cum malis etiam boni qui vel iam boni sunt, vel boni aliquando sunt futuri, euellantur: hoc quæro, Quū idem hoc periculum semper fuerit, cur olim Dominus in blasphemos & pseudoprophetas factiosos tam seuerā legem cōstituerit, vt integras etiam vrbes cum bonis illarum omnibus, ipsiisque adeo armentis perpetuo anathemate deuoueret? Quid enim: ànon illis etiam tēporibus periculū idem erat ne plurimi interficerentur, qui vel per errorē peccarant, vel resipiēcere poterant, & strenuam Ecclesiæ operam nauare? Et tamen non parces eis, in-

Deut. 13.

» quit Dominus, neque indulgebis, neque abscondes,  
 » sed omnino feries incolas eius vrbis gladio, & quic-  
 » quid est in ea, etiam iumenta eius: succendes vrbem  
 » igne, vt sit perpetuò aceruus, nec reædificetur am-  
 plius. Cæterum ne quis hîc fallatur, non rogo an  
 ista Lex adhuc valeat, (de hoc enim alibi, vt spero,  
 differemus) sed hoc quæro, quū sub Veteri fœde-  
 re non minus quam nunc periculum esset ne cum  
 zizaniis triticum euelleretur, qui verisimile esse  
 possit, Dominum in Nouo fœdere voluisse tâtam  
 huius periculi ratione haberi, quod olim sub Mo-  
 se prorsus contépserat. Hîc enim agitur de iis qui  
 primum illud ac præcipuum præceptum violant,  
**E T I L L I S O L I S E R V I E S :** quod perpetuum  
 est, etiam si cultus ratio quoad ceremonias attinet,  
 nunc est abrogata. Neque verò valere debet quod  
 nonnulli afferunt, Deum olim sub Mose rigidum  
 fuisse, sub Christo verò misericordem. Nam hoc  
 quidem verum est, si Legem Euangeliō opponas,  
 sicut aliquoties facit Paulus, & alii quoque: sed ad  
 quæstionem propositam non pertinet. Satis enim  
 constat inter omnes mediocriter eruditos hoc  
 non posse sic accipi, quasi nunc Deus violationem  
 Decalogi comprobet, vel minore quam antea vin-  
 dicadæ gloriæ suæ studio teneatur. Imò verò quan-  
 to nobis vberior gratia Christi aduentu allata est,  
 tanto par est Dominum eorum peccatis grauius of-  
 fendi qui incredibili isto munere abutuntur. Id  
 quod ita esse satis nos docerent nisi planè cæci essemus,  
 horribiles illæ Mahumetismi & Papisimi te-  
 nebræ, quibus orbem terrarum obrutum & sepul-

tum esse constat. Nam quæ tandem Israelitici populi clades aut seruitus cum hac excæcatione comparari potest, in qua Iudæi nunc ipsi cum Mahume tanis & Papistis, propter Christi cōtemptum, versantur? Ecquis autem de Deo tam crassè & imperitiè sentit, vt illum faciat olim quidem, tanquam cæco quodam excandescientiæ impetu correptum, legem statuisse zizaniis extirpandis tam seueram, vt innocētes pariter cum nocētibus inuolueret: nunc verò quasi ira ipsius deferbuerit, meliorem quandam rationem inuenisse zizaniis extirpandis citra tritici periculum? Nam id mihi quidem omnino dicendum videtur, si parabolam hanc zizaniorum dixerimus quandam esse veterum illarum legum moderationem.

Sed & illud tertio loco considerandum videtur, qua scilicet formula sit vſus Paterfamiliâs. Neque enim præcipit seruis vt finant simul crescere zizania, ne pro zizaniis triticum, sed ne vnâ cum zizaniis etiam triticum euellât: vt facile appareat hanc legem esse perscriptam non vt zizaniis ipsis, sed vt tritico consulatur. Itaque (quod Augustini, Chrysostomi, & aliorum quorundam pace dictum esse velim) qui hæc verba ad eos volunt pertinere qui ex zizaniis possunt fieri triticū, id est ex hæreticis orthodoxi, ideoque censent Patremfamiliâs velle vt pœnitendi spatium ipsis relinquatur, mihi quidem videntur subtiliorem quam par sit interpretationem afferre. Cōstat autem ea demum à Patrefamiliâs zizania vocari, quæ à diabolo sata sunt, id est re probos omnes, qui vt tritici speciem ad tēpus men-

k.i.

tiatur, sicut lolium quum adhuc in herba est, tamen semper sunt ac fuerunt zizania. At si qui ex hæreticis resipiſcunt, quum eos oporteat ab initio elec̄tos fuſſe, quanvis ad tempus viſa ſint eſſe zizania, quan diu ſc̄ilicet per ignorantiam restiterunt veritati, & diaboli laqueo capti fuerunt, nunquā tamen à dia bolo ſati fuerunt. Itaque non videntur in zizaniorū numero poſſe comprehendī de quibus in hac parabola quærūt Serui, & Paterfamiliās respōdet. Quod ſi ita eſt, nimirum illa zizaniorū in triticum transformatio non ſatis commode videtur huic parabolæ applicari.

Deinde quum hæc Chrysostomi interpretatio affertur, **S I N I T E C R E S C E R E**, id eſt diſſipate hæreticorum conciliabula, ora obſtruīte, & audaciam loquendi concidite, ſed ne interficiatis aut occida tis. Item iſta, **S I N I T E C R E S C E R E**, id eſt do gmata quidē impia arguite & anathematizate, ſed hominibus iſpis parcite: quum hæc, inquam, affe rūtur, quis non videt verbis Patrifamiliās vim af ferri? Quamobrem etiam Chrysostomus, & Theophylactus eum, vt ſolet, ſecutus, non ſimpliciter puit Patremfamiliās vetare ne tollātur zizania, ſed ne bello tollantur. Quia, inquit, ſi arma capietis, ne cesse eſt, quum hæreticos trucidatis, multos ſanctorum ſimul interire. Hieronymus autem ut hoc Patrifamiliās interdictum cum Paulo conciliet, qui incestuosum tradit Satanæ, & Corinthios monet ut ſcelestum hominem expellant à ſeipſis, in ea eſt opinione ut præceps tantū in ambiguis rebus iudicium prohiberi putet. Sed & Augustinus in eodem

**2. Tim. 2. d. 26.**

**Homil. 47. in  
Matthæum.**

**Homi. de nomi  
ne Abrahami.**

**Homil. 47. in  
Matthæum.**

**In Matth. 13**

soluendo nodo laborans, existimat hoc interdictū  
 ad certam offendiculorū speciem spectare, quoties  
 scilicet schismatis est periculum. Nam alioqui, in-  
 quid, quum metus iste non subest, sed omnino de fru-  
 mentorum stabilitate certa manet securitas, id est  
 quando ita cuiusque crimen notū est omnibus, & o-  
 mnibus execrabile appareat, vt vel nulos, vel nō ta-  
 les habeat defensores, per quos possit schisma con-  
 tingere, non dormiat seueritas disciplinæ. Quor-  
 sum autem hæc népe vt istas interpretationes coa-  
 actas esse appareat, deinde vt omnes intelligant in  
 huius parabolæ explicatione tantum non esse ve-  
 terum interpretum consensum, quantum esse Bel-  
 lii factio vociferatur.

Postremò si hac parabola docere voluit Christus quod sit ciuilis Magistratus in puniendis hæ-  
 reticis officium, profectò mirum est quum eam di-  
 scipulis suis flagitatibus explicaret, totā hanc par-  
 tem ab eo fuisse prætermissem: & discipulos etiam  
 qui tam cupidè illum erant percontati, in dimidia  
 tantū interpretatione acquieuisse. Nam si hanc  
 parabolam, sicut alias multas, prorsus intactam re-  
 liquisset, aliquis certè locus coniecturis nostris re-  
 liquitus videretur: sed quum eam ipse tam diligen-  
 ter discipulis exposuerit, fateor me nō videre quo-  
 modo has interpretationes à Christi scopo penitus  
 diuersas nō dico cōminisci, sed quærere possimus,  
 quin Christo interpreti, & eius discipulis insignem  
 iniuriam faciamus.

Sicut autem ea incommoda exposuimus quæ  
 consequi necesse est, si ex hac vnius parabolæ parti-  
 k.ii.

Contra Epis-  
 tolam Par-  
 meniani, li-  
 bro 3. cap. 2.

cula Ciulem & Ecclesiasticā in hæreticos potesta-  
 tem metiamur, sic etiam nūc operæ pretiū est audi-  
 re quibus rationibus soleat hæc interpretatio cōfir-  
 mari. Sic igitur aiūt, Paterfamiliās est Christus: ei⁹  
 Serui, sunt ii per quos regnū suū in hoc mundo ad-  
 ministrat: ciuiles scilicet Magistrat⁹, & qui Ecclesia  
 sticæ disciplinæ præfecti sunt. His autē officiorum  
 suorum fines in hac parabola præscribūtur. Nem-  
 pe vt Ecclesiastici quidē, qui claves non gladium à  
 Christo acceperūt, sua illa peculiari coercione sint  
 contenti: ciuilis autem Magistratus hæreticos, de  
 quibus scilicet hīc agitur, aliis etiam modis coérce-  
 re possit: ita tamen vt non occidat, ne scilicet vna  
 cum zizaniis etiam triticum euellat. Ego verò pri-  
 mūm omnium quæro cur Seruorum appellatione  
 homines potius quam Angelos intelligent. Nam &  
 Angeli emittūtur in ministerium, propter eos qui  
 hæredes erunt salutis: &, quum hīc agatur de æter-  
 no Dei consilio in Ecclesia repurgāda, probabilius  
 est, sicut initio historiæ Iobi, sic etiam hīc nobis al-  
 legoricè proponi Dominum cum suis Angelis de  
 futuro Ecclesiæ in hoc mundo statu veluti collo-  
 quentem. Itaque Theophylactus Seruos interpre-  
 tatur Angelos: idque etiam videtur ipsa interroga-  
 tio declarare, quum integrum illam Ecclesiæ per  
 orbem terrarum dispersæ, repugnationē satis con-  
 stet, vel ipsorum, vt arbitror, hominum confessio  
 ne, maius esse opus quam vt humanis viribus admi-  
 nistrari possit. Deinde si per Seruos accipias fideles  
 homines, Seruos nimirū à Tritico separabis: quod  
 fieri non posse puto, quum & ipsi in agro sati sint à

Patrefamiliâs. Postremò quum in explicatione parabolæ, Christus Patrem familiâs, agrû, vtrunque semen, inimicum, messem, messores interpretetur, si Serui à Messoribus diuersi sunt, qua ratione fieri potuisse dicemus ut Christus, qui cætera tam diligenter est persecutus, hanc particulam prætermitteret? Quòd si respondeatur ex Augustino, ideo distinguendos esse Seruos à Messoribus, quia probabile non est Angelos quicquâ eorum ignorare quæ gerant diaboli, hîc autem Serui ignorant à quo satâ sint zizania: deinde quia Paterfamiliâs ipse distinxit, quum Seruis respondens non dixerit, IN TEMPORE MESSIS DICAM VOBIS: sed, IN TEMPORE MESSIS DICAM MESSORIBVS.  
 Respondeo, subtilius illud esse quâm vt à Theologo decidi possit, & fortasse curiosius quâm vt de eo sit quærendum. Quod auté ad posterioré rationem attinet, sanè distinguui Seruos à Messoribus concedo, sed vt genus à specie, siue, vt ita dicam, partem à toto. Seruorû enim nomé omnibus administratoriis Spiritibus cōmune est, & generale ac perpetuū: Messorû auté fūctio peculiaris est ad id mun⁹ emissis, & téporaria. Ex quibus efficitur, quum Seruorû appellatione Angeli poti⁹ quâm homines intelligentur, fundamentum huius interpretationis de non occidendis à Magistratu hæreticis corruere.

Sed & illud quærendū videtur, qua ratione probari possit Christū de Ciuali iurisdictione hîc egisse, quū de his rebus nihil, quod sciā, à Christo præcipi soleat. Sed etiam si concederem hîc agi de Magistratu, quaten⁹ & ipse regni Dei pars est, probabi-  
 k.iii.

Iem tamen rationem afferri vix posse puto cur de i.  
 psius in hæreticos potius quam reliquos sceleratos  
 iurisdictione hic agatur: quum, ut antè ostendimus,  
 Zizaniorum appellatione omnia offendicula intel-  
 ligantur. Neque enim verum esse arbitror quod  
 » scripsit quidam: nempe periculum non esse, quum  
 » fur punitur aut homicida, ne bonus homo occida-  
 tur: quia homicidium nemo vñquam defendit, ne  
 » homicida quidem: religionis autem diuersam esse  
 » rationem, in qua facile potest quispiam vir bonus  
 » hallucinari: quia scilicet obscurè & per ænigmata  
 sæpet tradita est. Hoc, inquam, verum esse non puto.  
 Nam vt de Scripturæ obscuritate nihil dicā, quam  
 frustrà nonnulli contumaciæ suæ prætexunt, vt de  
 Molochi sacrificiis, vt de Circuncellionū furoribus  
 taceam, cui ignotum esse potest hoc nostro tempore  
 Libertinos, Anabaptistas, Davidistas homicidia spi-  
 ritualibus suis reuelationibus non modò vt licita  
 defendere, sed etiam re ipsa aliquoties exercuisse?  
 Quinetiam & furta & adulteria tollunt, qui distin-  
 etas rerū possessiones sublatas esse volunt, & in istis  
 erroribus nonnulli præfractè mori malunt quam  
 culpam agnoscerē. Deinde quū sæpe in his iudiciis  
 innocentēs accusentur, & falsis testibus cōvicti aut  
 tormentis ad confessionem adacti damnētur, quod  
 in iusto & legitimo hæresis iudicio accidere non po-  
 test, in quo scilicet omnes ex ore suo iudicātur, quis  
 non videt in istis etiam criminibus maximum esse  
 periculum ne cum zizaniis triticum euellatur: si  
 quidē hæc verba sic interpretari libet: Quis autem,  
 nisi impurus Anabaptista, idcirco contendat præ-

dones vel homicidas non esse capite puniédos? Postremò si hæretici definitionem diligenter consideremus, fatebimur vix aut ne vix quidem fieri posse ut idem hæreticus & vir bonus esse possit. Neque enim quisquis errat, aut pertinaciter etiam errat in causa religionis, hæreticus est, vt antè ostendimus: sed is demum qui rite & sæpe ex verbo Dei admonitus, volens ignorat veritatem, neque super fundum ædificat, sed iudicium suum Ecclesiæ auctoritati præfractè & factiosè anteponit. Is demū hæreticus est, ii sunt, inquam, de quibus quærimus an eos liceat ciuili Magistratui vt publicè concordia peruicaces perturbatores, & in Deum improbè ac sceleratè peccantes ( affectata enim ignorantia summus est improbitatis gradus) capitali etiā supplicio pro criminis magnitudine coercere. Quam obrem quum semper adiuncta sit hæresi conscientia mala, quanuis hoc inficientur hæretici ad mortem vsque contumaces, vbi tādem est summū illud periculum ne quum hæreticum occidis, triticum extirpes? Et hæc quidem haec tenus.

Quid igitur? quomodo hanc parabolam explicabimus? Mihi quidem Christi interpretatio satisfacit, ex qua satis intelligi potest propositam hanc esse parabolam vt ex ea intelligeremus quis sit in genere à propagata Euangeliī doctrina regni Dei status ad consummationem vsque mundi futurus. Sed hoc nobis allegoricè declaratur. Sicut enim initio historiæ Iobi proponitur nobis Deus vt rex aliquis cum suis proceribus, sic cū Angelis suis, Satana quoque præsente differens, vt nc bis ob oculos  
k.iiii.

incomprehensibilis illa Dei prouidentia mundum  
 vniuersum per Spiritus administratorios guber-  
 nantis, quasi in tabella proponatur: ita etiam hoc lo-  
 co Dominus cum iisdem Angelis, velut paterfami-  
 liâs cum seruis suis, de futuro laborum suorum exi-  
 tu colloquitur. Rectè autem non faciunt, opinor,  
 qui in singulis parabolæ verbis insistunt, quū spe-  
 & standus sit potius eius finis. Alioqui, ne longius a-  
 beam, si in alia eiusdem decimi tertii capituli para-  
 bola de tribus satis farinæ, curiose scruteris quæ-  
 nam sit illa mulier, quæ farina, cur trium satorum  
 fiat mētio: ridicula multa necesse est effutiri, quum  
 hac similitudine hoc vnum doceatur, fore ut ver-  
 bum Dei instar fermenti cuiusdam per vniuersum  
 mundum propagetur. Quamobrem in hac quoque  
 parabola singulas eius partes ad eius finem & sc̄o-  
 pum puto applicādas. Quum igitur improvisa ma-  
 la vehementius feriant, diligens Paterfamiliâs vo-  
 luit nos eorū esse admonitos quibus futurū erat ut  
 quo magis pius est aliquis, eo magis offenderetur.  
 Est autem inter cætera vel maximum hoc offendiculum de quo h̄ic agitur. Solent enim sanctissimi  
 qui que assiduis Ecclesiæ calamitatibus magnope-  
 re commoueri, & humanis iudiciis periniquum vi-  
 detur quod impii passim florent, & Ecclesiam do-  
 mi ac foris pertinacissimè oppugnant. Consolatur  
 autem nos Paterfamiliâs noster à quo sati sumus,  
 & nobis prædictit perpetuam quidem fore hanc Ec-  
 clesiæ in hoc mundo conditionem, & nunquam h̄ic  
 defutura zizania: itaque non esse quod integrâ Ec-  
 clesiæ repugnationem in hoc mundo speremus, sed

hunc mundum perpetuum non fore. tempus enim  
 quoddam à Deo constitutum esse in quo repurga-  
 tum triticum in horreum recondatur, resecta au-  
 tem zizania exurantur. Quòd autem tādiu integra  
 illa repurgatio Ecclesiæ differatur, nostro bono fie-  
 ri, adeò vt si qui aduersus Dei consilium hanc inte-  
 gram Ecclesiæ repurgationem forte aggrediantur,  
 non modò nihil sint effecturi, sed etiam magnum  
 Ecclesiæ allaturi detrimentum. Sciamus igitur Ec-  
 clesiam temerè non agitari, sed quia ita expedit, vt  
 consiliis Dei acquiescentes, tempus messis patiēter  
 pro se quisque expectemus. Hæc igitur huius para-  
 bolæ summa est, sicut ex ipsius Christi interpreta-  
 tione apparet. Ecquis autem non videt, quanuis in  
 hoc mundo semper sint futuri mali cum bonis per  
 mixti, sitque ista permixtio patienter ad tempus vi-  
 que messis perferenda, minime tamen inde conse-  
 qui vel ciuilem Magistratū, vel Ecclesiasticæ disci-  
 plinæ præfectos cessare in officio oportere? Quid  
 enim an quia semper in hoc mūdo prædones erūt  
 aliqui & homicidæ, idcirco ciuilis Magistratus ne-  
 que prædones, neque homicidas capitali supplicio  
 puniet? Neque est iniqua hæc comparatio, quū iam  
 antè ostenderimus zizaniorū appellatione omnia  
 Ecclesiæ offendicula comprehendi. Quare vt libe-  
 rè dicā quod sentio, neque de Ciiali, neque de Eccle-  
 siastica iurisdictione hīc agi puto. Hæc enim vtra-  
 que ad particularia singularū personarum iudicia,  
 id est ad particularem Ecclesiæ repurgationē per-  
 tinet. Hoc autē loco differitur de integra illa & vni-  
 versali Ecclesiæ totius repurgatione, quam Domi-

nus in extremum illud iudiciū differt, Angelorum ministerio peragendam. Idque, ni fallor, vel ex ipsa Seruorum interrogatione, & Patrissimiliās responso liquere potest. Neque enim quærūt Serui, Num vis ut hanc vel illam manifestam zizaniam colligamus: id est ut hūc scelestum, siue haereticum, siue scortatorem, siue furem, siue alio aliquo scelere infestum ē medio huius Ecclesiæ ciiciamus, ne parū fermenti totam massam corrūpat? Nam si hoc quæsiscent, & per Seruos intelligas Ecclesiasticæ disciplinæ præfectos, proculdubio respondisset Paterfamiliaās quod per Paulū postea præcepit & exercuit. Neque item quærunt, Num vis ut scelestum & blasphemū atque adeò factiosum hunc maiestatis tuæ & Ecclesiasticæ auctoritatis perturbatorem ē vita deturbemus? Respondisset enim profectò Paterfamiliaās si per Seruos, ciuiles Magistratus accipias, hoc ipsum quod per Mosen edixit in blasphemos & factiosos pseudoprophetas. Hoc, inquam, nō quærūt Serui: sed, Num vis vt colligamus zizania: id est vt bonum illud semē quo totum orbem terrarum conseruisti, ab omnibus istis offendiculis repurgemus? Itaque Paterfamiliaās iubet vt messem, id est mundi cōsummationē expestant: ex quo satis apparet illos de integra totius Ecclesiæ repurgatione Patremfamiliaās consuluisse. Nam alioqui quū de singularibus iudiciis agitur, id est de hac vel illa zizania euellenda, idem sentiendum quod de particuliari tritici ipsius collectione. Sicut enim Dominus colligendo suo tritico, si singulas personas speces, nō autem totū Ecclesiæ corpus, messim illam yni-

uersalem non expectat: sed sigillatim quotidie suos demetit, quum eos ex hoc mundo euocatos, in regno suo collocat: sic etiam de peculiari & quotidiana singularum zizaniorum messe iudicandum est, quum sceleratos ex hoc mundo vel per Magistratum, vel alia aliqua ratione sublatos, in tenebras exteriores abiicit. Quare ut tandem finem aliquem dicendi faciam, & paucis omnia complectar, de vniuersali Ecclesiæ ab omnibus sceleratis repurgatione hic agitur, de qua scilicet rogatus Paterfamiliâs, de vniuersali etiam messe respondit. Sicut autem vniuersalis messis, id est supremum illud iudicium, particulares messes, id est quotidiana tu in electis tu in reprobis iudicia non tollit: sic etiam existimandum est, vniuersali illa repurgatione, quæ in supremo demum iudicio fiet Angelorum ministerio, particulares singularum Ecclesiarum repurgationes ex auctoritate vel Ciuiili vel Ecclesiastica ritè factas, quæ vtraque à Domino in sua Ecclesia quotidianis istis iudiciis est constituta, minime impediri: & quum ista distincta sint, perperam nos facturos si ea confundamus.

*Secundum argumentum: Quia Magistratui non licet animam occidere.*

Nunc aliud argumentum aggredior cum superiore prorsus coniunctum. Putant enim non nulli, *Quum hæretici nullam in regno Dei partem habeant, Magistratui conædi non posse ut eos interficiat, quin eum quodammodo faciamus damnationis ministrum. Atqui animam occidere solius Domini est. Hæreticum igitur occidere non debet Magistratus, ne Dei officium usurpet.* Ego vero paucis respondeo, si hæc ratio olim sub Mose non valuit,

Refutatio.

ne nunc quidem causam esse cur valere existime-  
mus, quū de Magistratus legitima potestate nihil  
sit à Christo detractum. Cōstat autem Dominum  
constituisse vt blasphemus & pseudopropheta qui  
à Dei cultu alios abducit, capitali supplicio à Ma-  
gistratu, absque vlla misericordia, è vita deturbe-  
tur, neque additam esse resipiscentiæ conditionem.  
Deinde quòd de hæreticis obiicitur, in cæteris quo-  
que sceleratis locum habere posse constat. Nam &  
homicidæ & benefici, & Sodomitæ, cæteri denique  
facinorosi homines damnari, & ad necem trahi pos-  
sunt, quos antea&tæ vitæ non pœnitent, imo verò  
qui scelerum suorū recordatione delectentur, & iu-  
dicii Diuini, ac præsentis mortis nullo prorsus sen-  
su afficiātur. Nos quidē certè nonnullos vidimus  
qui in ipsis carnificū manibus, quāuis optimo iure  
damnati, tamē Magistratum conuitiis lacerarent:  
alios qui se libenter mori dicerent, quòd inimicum  
suum essent vlti: alios qui induci non possent vt iis  
ignoscerent à quibus erāt accusati: quosdam etiam  
qui Deo ipsi maledicerent. De bellis autem quid di-  
cam, quæ tamen inter omnes pios constat ex Magi-  
stratus auctoritate legitimè nonnunquam indici &  
geri posse? Quid igitur? an in istis omnibus qui in-  
terficiendi sunt expectanda erit à Magistratu resipi-  
scentia, ne animas quoque ipsas occidere, & in Dei  
possessionem inuadere videatur: ac non potius, vt  
Dei minister ad iram, in flagitosorum corpus  
animaduertet, ciues suos aduersus aliorum iniurias  
armis tuebitur, cætera Domino committet? Iubet  
Moses Leuitas arreptis gladiis obuium quenque si-

ne vlo prorsus discriminē trucidare: parent illi, & hoc ipsorum factum à Deo, Mosis voce, comprobatur. An hīc, obsecro, Moses quū de idololatria & in credulitate (peccatis, vt quidam vocant) spiritualibus, ageretur, resipiscētiā expectare debuit, ne animicida fieret? Imo verò si qui serio resipuerint, illis potius parcendum fuisset, & in solos contumaces gladius stringendus. Phinees quoque, quanuis extra ordinem, tamen duos in ipso adulterio confosos detrudit ad inferos. An igitur animas dicetur occidisse, qui tamen idcirco tantopere commendatur? Duo cum Christo crucifixi sunt latrones, uterque flagitiis coopertus: unus in Paradisum recipitur: alter, vt probabile quidem est, reiicitur. Num ideo Magistratus in illo puniēdo iustus, in isto crudelis, ac non potius in utroque fuit Dei minister ad iram? Sic enim omnino se res habet. Magistratus constitutus est à Deo ut vitam tranquillam degamus cum omni pietate & honestate. Quare quisquis inuehit ullam vel in rebus humanis, vel in religione ~~et ceteris~~, quod præ cæteris omnibus hæretici faciūt, in eum debet pro criminis magnitudine ex præscripto legum animaduertere. Tenetur tamē, fateor, pro Christiana charitate, quum scelus hominis potius quam hominē ipsum persequatur, quoad eius fieri potest, efficere ut miser ille cui subcūda est pœna, peccatum agnoscens, veniam à Deo petat. Siue tamen culpam agnouerit, & sit deprecatus: siue pertinax ad extremum fuerit, sicut nihil debet temerè & inconsideratè facere, ita officiū eius omnino flagitat, ne nocenti parcat, sed potius iniunctum

Num. 25. b. 8.  
&c. II.

1. Tim. 1. 2. 2.

sibi à Domino munus exequatur. Neque propter ea dici potest animā illius interfecisse, vt pote quem non interficerit vt à Deo damnaretur, sed vt cæterorum tranquillitati consuleretur, utque exemplo in vnum edito, cæteros in officio, pœnæ saltem metu contineret. Quum autem nihil non fecerit vt infelix ille in peccato suo non moreretur, animæ certè iudicium Deo integrum reliquit, & ille extremitam illam suam peruicaciam potius quām Magistratum accusare debet. Id autem cum in omnibus per se (vt opinor) satis liquet, tum verò maxime in hæreseos criminē, de quo peculiariter à nobis queritur, ipsius Pauli auctoritate comprobari potest, qui hæreticos *ἀνθρακεῖτες* vocat. Hæretic⁹ ergo ex Paulo, quoad æternum illud supplicium quod ex solius Dei sententiā decernitur, sibi ipsi causa est exitii: ad corporis autem pœnā quod attinet, eam quoque ipse sibi suis scelerib⁹ accersiuit, sed in ea infligēda Magistratus est Dei ad iram minister. Et certè hæreticos ipsos multo iustius quām eos à quibus interficiuntur possis animicidas appellare.

Et hæ quidem sunt, ni fallor, rationes quibus aducti nonnulli boni & erudit⁹ homines, puniendos intra mortē hæreticos censuerunt: quibus ego nullius profectō contentionis, sed solo veritatis studio respondēdum putauī. Nā siqui sunt qui hæc etiam argumenta proferant, Quòd nullus ad fidem cogi possit: Quòd Apostoli hanc rationem non sint sectati: illis in altera superioris disputationis parte satisfactum esse spero. Quòd autem nonnulli clementiam Christianam nobis proponunt, Deum enim

non comburere errantes ouiculas, sed quærere &  
 sanare: cupere non vt hæreticos occidamus, sed de-  
 uitemus: gladios esse in vomeres confandos, &  
 lanceas in falces, & similia multa à Christo illo  
 mansuetissimo nostro Seruatore præcipi: hæc  
 nos omnia & probamus & pro viribus sectamur.  
 Quum enim, vt iam sæpe testati sumus, & iterum  
 testamur, non infideles, non simpliciter errantes,  
 non quosuis errores, sed manifestam tantum & ex  
 verbo Dei ritè conuictam impietatem moderate  
 in factiosis hominibus, capitali tamē poena, quum  
 hoc postularit blasphemiae aut periculi magnitu-  
 do, puniédam, idque non ab Ecclesiasticæ discipli-  
 næ præfectis, sed à ciuili Magistratu censeamus,  
 nemo non videt nos à Mahumetana & Papistica  
 tyrannide, cuius nos isti Academicci insimulant,  
 quam longissimè abesse. Vociferantur quidē mul-  
 ti se vereri ne furiosis hominibus gladium porri-  
 gamus, & hanc quæstionem hoc calamitoso seculo  
 parū necessariam esse iudicāt, in quo scilicet refræ-  
 nāda potius quam amplificanda quorundam pote-  
 stas videatur. Sed ego profiteor me, quanuis re ipsa  
 non nullorū crudelitatem pro Dei nomine (quidni  
 enim in Domino glorier?) expertum, tamen istis af-  
 sentiri non posse. Nam vt omnes etiam potestate  
 sua abutantur, non est tamen nostrū veritatem dis-  
 simulare, & terminos à Deo positos amouere. Ni-  
 hil est autem nobis in Ecclesia, hoc præsertim tam  
 licetioso seculo, maiore studio ac contéctione facié-  
 dum, quam vt post synceram doctrinam Euange-  
 lii explicatam, & ciuiles Magistratus, & qui Eccle-

siasticæ disciplinæ præfecti sunt, iurisdictionis &  
 potestatis suæ terminos benè & accurate norint.  
 Nam hoc ego liberè coram Deo & Angelis ipsius  
 testor, quas hodie corruptelas passim in Ecclesia  
 Dei, maximo cum luctu ferre cogimur, eas omnes  
 ab hac tanquam scaturigine exortas, quòd Princi-  
 pes partim officii sui ignoratione, partim quòd ipsi  
 vitiosissimi essent, partim segnitie, quam qui Princi-  
 pibus adulantur, clementiam falsò vocat, neque se-  
 se cum veris Ecclesiæ Ministris fortiter coniunxe-  
 rint, neque callidissimis Vulpibus in ouile Dei irre-  
 pentibus, quum Ecclesiæ claves parùm metuerent,  
 suos illos exertos gladios satis seuerè ostentarint.  
 Ita enim factum ut (quod de vulpibus quidam scri-  
 bút) quum in Lupos degenerassent, eiectis ex Eccle-  
 sia Pastoribus, eorum sedes securè occuparint: dein  
 de, iusto Dei iudicio, ipsos sibi Principes subiece-  
 rint, donec Satan in ipso Dei templo sedens, sum-  
 mos orbis Monarchs fecerit suæ crudelitatis ad-  
 ministros. Vbi enim ordo à Deo constitutus negli-  
 gitur, summam omnium rerum perturbationem  
 consequi necesse est. Hæc, inquam, est vera Ecclesiæ  
 rum vastationis origo, non illa quam Monfortius  
 tradit. Clamat enim iste, Papæ tyrannidem (cuius  
 tamen nomen studiosè isti vbique subticere solent)  
 inde profectam, quòd iudicandi potestatem homi-  
 nibus ademerit. Ineptè quidem, ni fallor, quum Ty-  
 rannum iam esse oportuerit qui hoc prohibere pos-  
 set: neque vñquam in Ecclesia Dei ita libera fuerit  
 & promiscua iudicādi potestas, vt, sicut licere vult  
 Mōfortius, singuli quiduis sentire ac docere possēt.

Tertium argumentum: A zizaniorum parabola, ex Academi-  
corum sententia.

Sed age, ad nostros Academicos reuertamur. Solent enim & isti nonnulla proferre argumenta, quæ nos, ut spero, ineptiarum & impudentiarum plena esse facile ostendemus. Prodeat ergo primo loco mirificum cuiusdam enthymema qui se Clebergiū vocat, cuius lepidissima iam aliquot argumenta absoluimus. Pugnat enim & iste zizaniorum parabola: & quidem, ut sibi videtur, admodum acriter, anticipati nimirū telo. si hæretici, inquit, zizania sunt, non debet interfici, sed ad tempus relinqui: sin hæretici zizania non sunt, sed homicidæ & cæteri facinorosi, oportet facinorosos ad tempus usque relinqui, non occidi: quod falsum est. Nam si facinorosi non occiderentur, non posset stare mundus. At qui necesse est aut facinorosos aut hæreticos relinqui usque ad messem. Ex quo consequitur, ut qui nulli hæreticos interfici ante messem, idem nolit facinorosos interfici: & qui facinorosos null interfici, idem nolit hæreticos interfici, nisi uelus repudiare Christi præceptum de zizaniis relinquendis. Obscro, quis noui istius Carneadis acumen non admiretur? Ego verò Clebergi plus etiam tibi cōcedo quam petas. Tu enim vel hæreticos vel cæteros facinorosos contendis zizania vocari: ego verò & hæreticos & cæteros facinorosos, id est omnia offendicula, & quotcunque faciunt iniquitatem, affirmo zizaniorum appellatione comprehendendi: neque hoc reprehendere potes, quin Christum ipsum reprehendas. Quid igitur? népe si tuam hypothesis sequamur, id est si hæc verba, S I N I T E C R E S C E-  
RE ZIZANIA VSQVE AD MESSEM: ciuili Magistratui dicta sunt, & iis prohibetur interficere, consequetur nullos nocentes ante seculi consum-

Refutatio.

1.i.

mationem interficiendos, nullum scandalum ante supremi iudicij diem tollēdum: quod neque fit, neque fieri potest. Relinquitur ergo ineptū esse tuum dilemma, in quo nimirum falsam hypothesin assūmas, atque adeò idipsum ponas quod in quæstione versatur: in quo denique non omnia comprehendas. Nam, ut antè ostendimus, neque ad ciuilē Magistratum, neque ad Ecclesiasticā disciplinam ista spectant, neque iis significatur nulos nocētes quotidianis iudiciis vel à Magistratu tollendos è medio, vel Ecclesiastica disciplina coërcendos, sed potius offendicula usque ad seculi cōsummationem in Ecclesia nunquam defutura. Quamobrem prohibentur Angeli ex Dei decreto ante id tempus integrā illam Ecclesiæ repurgationē aggredi, quæ à Paulo redemptio filiorum vocatur, & quam Petrus testatur ab Angelis cupidissimè expectari. At enim dices, solent hæc aliter à veteribus præsertim exponi. Solent profectò, & à nonnullis etiā recentioribus. Sed ex veteribus mecum facit Theophilactus, qui per Seruos interpretatur Angelos: & reliqui (quod eorū pace dixerim) à seipsis dissentīūt. Ex recentioribus autem doctissimus quisque mecum Christi interpretationem sequitur: quod à vobis reprehendi non potest quin vosip̄ in grauiissimam reprehensionem incurratis. Deinde verò ecquem ex Patribus proferetis qui vobis in eo patricinetur, quod non modò non interficiendos, sed ne iudicandos quidē hæreticos censetis, adeò quidem impudenter, ut vos non pudeat affirmare nullum hominum genus esse minus metuendum, nempe

Rom.8.d.19.

1.Pet.1.c.12.

ut cuius quiduis sentire ac docere liceat? Sed hæc  
 vet<sup>o</sup> est diaboli techna. Testatur enim Augustinus  
 suo etiam seculo nonnullos hanc parabolam ita es-  
 se interpretatos, quorum errorem sic refellit: Qui-  
 dam, inquit, quum bonorum malorumque permi-  
 xtionem in Ecclesia demonstratam vel prædictam  
 esse perspexerunt, & patiētiæ præcepta didicerunt,  
 quæ ita nos firmissimos reddunt, ut etiam si viden-  
 tur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediatur  
 aut fides, aut charitas nostra: aut quoniam zizania  
 esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia receda-  
 mus, instituendam putant esse & Ecclesiam & disci-  
 plinam quādam peruersissimam, securitatem Præ-  
 positis tribuentes, ut ad eos non pertineat nisi dice-  
 re quid cauendum, quidve faciendum sit: quodlibet  
 autem quisque faciat, non curare. Quibus respon-  
 dens, primū dico, ne quis ea testimonia Scriptu-  
 rarum quæ commixtionem honorū & malorum  
 in Ecclesia vel præsentem indicant, vel futurā præ-  
 nuntiant, sic accipiat ut disciplinæ seueritatem si-  
 ue diligentiam soluendam omnino atque amitten-  
 dam, non illis edoctus literis, sed sua deceptus opini-  
 natione existimet. Neque enim quia illam primi  
 populi permixtionem Moses Dei famulus patien-  
 tissimè perferebat, ideo non in multos gladio vin-  
 dicauit. Et Phinees sacerdos adulteros simul inuen-  
 tos vltore gladio confixit. Hactenus Augustinus:  
 quem quidem non nego à Donatistarum cæde ab-  
 horruisse, sed ita tamen ut ad licentiam illam ve-  
 stram constituendam, illius auctoritatem frustrà  
 iactetis.

*Quartum argumentum: Quia maxima pars hominum esse occidenda.*

Sed tempus est ut aliud istorum argumentū agrediar. si occidendi sunt blasphemii, inquit Monfortius Bellii collega, tollendi sunt ī præcipue qui Deum ore profestentes, factis negant: quum in causa sint ut nomen Dei blasphemetur. si occidendi qui alienis diis sacrificant, præcipue occidendi sunt qui sacrificant deo suo Maoxin, id est violētiae & crudelitati. Item auari, quorum auaritia est idolatria: et gulosi, quorum deus ueter est. Itē simoniaci (inquit Eleutherius) qui maxi-  
mi dicuntur hæretici, Can. Eos qui. i. quæst. i. Verū, quæso quid fieret tāto hæreticorū grege? Vnde carnificū lignique satis suppedita  
retur ad eos omnes comburendos? Nam (excipit Mōfortius)  
quum sint innumerabiles sectæ, quarum nulla cum alia in Scri-  
pturarū sacrarū interpretatione conueniat, oportet omnes inter-  
fici, excepta una, et ea minima, quandoquidem Christi grec par-  
nulus est. quod quām sit absurdum, et quām fieri non possit, quis  
non uidet? Et hæc quidem isti. Quasi nimirum nos  
in eos omnes qui à nobis, vel potius à veritate dis-  
sentient, nihil aliud quām cædes & minas spire-  
mus. aut quasi tam rudes simus, vt apertos paralo-  
gismos non cernamus. Paucis igitur respondeo di-  
stinguendas esse tum blasphemiae, tum idolatriæ  
species. Blasphemus enim in genere dici potest qui  
famam alterius lædit, vt ipsa verbi notatio decla-  
rat, utque etiā à Paulo accipitur 1. Cor. 4. c. 12. sicut  
vos Academicci facitis, quum tot clarissimas Res-  
publicas, totque eximios Christi seruos ut crude-  
les & immanes calumniosissimè accusatis, de quo  
crimine ex Ciuilibus legibus iudicandum est. Sed  
angustiore significatione blasphemus à Theolo-  
gis vocatur qui vel proprio honore Deum spoliat,  
vel quippiam illi affingit ipsius natura indignum

Rom. 2. d. 24.

Ephes. 5. b. 5.  
Coloss. 3. a. 5.  
Philip. 3. d. 19.

Refutatio.

De blasphemia.

& alienum, is denique qui maiestatem Dei lædit, & contumelia afficit. Huius autem blasphemiae species præterea distinguendæ sunt. Interdum enim cum hæresi coniuncta est, sicut nuper in Serueto, sicut etiam in istis Academicis qui Trinitatis cognitionem negat meliorem hominem efficere, qui Libero arbitrio constituto gratiam Dei imminuunt, qui denique verbum Dei obscurum & ænigmatum esse conqueruntur. Istos verò non dubium est tanto grauioribus suppliciis dignos esse, quanto Maiestas Dei pertinaciter & improbè violata seuerius quam Regū & Principum omnium dignitas est vindicanda. Sed interdum hæc blasphemia ab ignorance proficietur: sicut olim à Paulo, & hodie (ut existimo) à multis Iudæis, Turcis, Papistis, Christus indignissimis cōtumeliis, ignorance potius quam improbitate, afficitur: quod & ipsum aliquando iis accidit qui Christiana alioqui religione tincti, tamē in præcipuis adhuc Christianæ doctrinæ capitibus summam ignorantiam produnt. Et istorum quidem blasphemias non excuso. Neque enim dubium quin iram Dei grauissimam mereantur, quum hæc ipsa ignoratio in qua versantur, poena sit peccati. Sed tamen pro ipsis potius orandum est, & infirmi patienter erudiendi, quam supplicium de illis à Magistratu sumendum, nisi pertinacius affectata sit ignorantia. Tunc enim non infirmi, sed improbi habendi sunt: & Princeps Christianus rebelles Ecclesiæ perturbatores, in sua quidem ditione, (nam eos qui foris sunt Deus iudicat) pro criminis magnitudine coercere debet. Postre-

Rom. 14. a. 1.  
2. Tim. 2. d. 24.

1. Cor. 5. d. 12.

mò quædam blasphemiarum ab ira & inconsideratione animi impetu proficiscuntur, quæ sanè sunt execranda, sed de quibus tamen certa regula tradi non potest. Sunt enim prudenter omnes circumstantiae, quæ multiplices sunt, considerandæ, ut neque Dei maiestas impunè violata sit, neque Ecclesiæ offendiculum inultum maneat: neque tamen eiusmodi fit remedium ut morbum potius exacerbet quam sanet, summo denique temperamento severitatis & charitatis poena condiciatur. Dicite igitur quid tandem sit in istis quod à vobis merito reprehendi possit, & calumniari nos desinite, quasi quum legem à Domino in blasphemos perlatam tuemur, in omnium penè mortalium perniciē coniurauerimus. Ad idololatriam verò quod attinet, multo etiam magis adhibenda fuit distinctio. Nam, ut alias Idoli significationes omittā quæ ad rem non pertinēt, Idola interdum vocamus rerum corporatarum simulacra ex materia quapiam fabricata. Iстis igitur simulacris qui Diuinitatē vlla ex parte tribuunt, quive in illis Deum vlla ratione colunt, Idololatræ, id est idolorum serui dicuntur. Eam autem idololatriam Scriptura singulis paginae grauissimè reprehendit: ex quo colligere necesse est vix quicquam esse quo Deus magis offendatur, quodque acerbius vindicet. Nequaquam tamen in omnes omnium gentium Idololatras legem constituit, ex qua punirentur: sed in eos demum qui in populo suo Israelitico, cui vni leges prescribebat, illam inuehere essent conati, cæteros nimirum iudicio suo puniendos reseruans. Sic ergo nunc si

quis in Ecclesia Dei ad Paganicam vel Papisticam idololatriam homines studeret reuocare , Christiani Magistratus officium postulare dicimus vt in sceleratum eiusmodi idololatrā animaduertat: quod etiam fuisse aduersus Paganos sanctum Augustinus testatur. Papistas tamen ferimus, & ad Ecclesias nostras accedētes benignè excipimus: minime quidē, vt vos cōfingitis, illorū metu , (cur enim eos occidere, si occidere fas esset, vereremur, qui ab ipsis occidi quotidie pietatis causa, Dei gratia , non formidamus ?) sed quia eos qui foris sunt Deus iūdicabit : & aliud est à religione deficere, & alios ad defectionem sollicitare, quām veritatis viam quam nunquam ingressus fueris, non tenere . Quo verò iure Magistratus in alienos subiectos inuaderet : Etsi enim eius officium est, Christi religionem in sua ditione etiam gladio, quum aliter non licet, aduersus omnes fortiter & cordatè tueri ac retinere , armis tamen eam propagare nec potest quisquam, nec debet . Sed alia quædam idololatriæ species sæpenumero incidit, perniciosissima quidē illa, sed de qua tamen aliter quām de superiore iudicandum est. Idolum enim interdum vocat Scriptura quicquid in alicuius animo pro Deo regnat , & summum imperium tenet, cui nimirum quispiam præterito vero Deo, sese in seruitutem addicit . Illud autem vel prorsus commentitium est, quia sola imaginatione existit: vel existit quidem in rerum natura, sed tamen non est eiusmodi quale id esse nobis persuasimus: quæ vtraque idolorū species exemplis videtur declaranda. Mahumetani quendā exi

Lib. I. contra  
Parmenianis cpi  
folam, cap. 7.

1. Cor. 5. d. 12.

l. iv.

mium Prophetam, & Dei interpretē somniant Mā humeten nomine, & religionem ex eius auctoritate sibi constituerunt, quæ tota somniis & vanis imaginationibus constat, earum scilicet rerū quæ nusquam sunt, & nusquam sunt euenturæ. Huc etiam Papistarum purgatorium, & vanas plurimas opiniones referimus. Tot igitur isti habent idola, quot sibi somnia sunt commēti. Alii ex rebus creatis sibi in animo faciunt decorū species quibus seruiant: qua ratione gulosus ventrem, avarus diuitias, ambiosus honores, libidinosus amicam pro deo habere dicitur. Sic enim Cyclops apud Euripidem,

O' πλάτες διδράπτεικε τῆς συφᾶς θεός,

Τὰ δὲ ἄλλα κούμποι, γέ λόγων ἀμορφίαι.

Et paulo post,

Ἐγώ δὲ οὐ τίνω πλινθέμοι, θεῖοι δ' εἰ,

Χαὶ τῇ μεγίση γαστρὶ, τῇ δὲ δαμόσῳ.

Quamobrem

etiam Paulus avaritiam dicit idololatriæ speciem esse: & de iis loquens qui terrena cogitant, Quorum, inquit, Deus venter est. Prior igitur ex his duabus species cum simulacrorum idololatria, aut certe cum externis aliquibus ceremoniis coniuncta est, eius nimirum parens ac genitrix. Necesse est enim ut mens idolum prius concipiatur quam manus pariat. Quare de hac specie idem quod de prima illa statuendum, ut scilicet à defectoribus infideles, imperiti ab improbis, simplices à factiosis, externi à domesticis distinguantur. Sed de altero posterioris idololatriæ genere, à quo vix quisquam est prorsus liber, aliter est iudicandum. Hæret enim tota in ipsis animi penetralibus, quæ solus Deus scrutari potest, orta scilicet à vitiis &

Ephes. 5. b. 5.

Coloss. 3. a. 5.

Philip. 3. d. 19.

prauis cupiditatibus, quæ in animo ita regnant ut  
 ea quæ à nobis appetuntur, si non simpliciter pro  
 diis habeamus, at certè pro diis tamen habere me-  
 ritò videamur, vt pote quæ (ratione à cupiditati-  
 bus oppressa) vero illi & vni Deo scientes ac pru-  
 dentes anteponamus. Ostendimus autem in altera  
 superioris disputationis parte non vitia, sed cri-  
 mina à Magistratu puniri. Vitia enim quandiu  
 non erumpunt in crimen, vel Dei iudicio, quum  
 scilicet prorsus occulta sunt, aut non satis manife-  
 sta, relinquuntur: vel, si qua ratione se patfecerint,  
 citra tamen Reipublicæ aut proximi iniuriam de  
 qua leges constitutæ sint, verbo Dei, precibus, ex-  
 hortationibus, increpationibus, Ecclesiastica deni-  
 que disciplina coercentur. Sinautem radix plenos  
 fructus ediderit, puta si gulosus vel sua vel aliena  
 bona cum alicuius detrimento, vel peruerso exem-  
 ple abligurierit: aut auarus malis artibus aliena bo-  
 na interuerterit: aut libidinosus alicuius pudicitia  
 violarit, tum demum Magistratus istum, non ut  
 idololatram, (translatitiè enim eiusmodi homines  
 idololatræ vocatur) neq; vt gulosum, aut auarum,  
 aut libidinosum (sunt enim hæc non criminū, sed  
 vitiorū nomina) sed ut furem, ut prædonē, ut adul-  
 terum pro criminis ratione puniet. Et hæc quidem  
 de blasphemis & idololatriis. De Simoniacis verò  
 (quos vocant) paucis respōdeo, quæstionem huius  
 loci non esse, quū inter sacrilegos potius quam in-  
 ter hæreticos sint numerandi. Nec tamen ignoro  
 Simonem illum Magum ut hæretorum ducem  
 à veteribus recenseri. Sed hoc ad crimen illud non

De Simonia.

refertur quod Romani Pontifices, illius scilicet Simonis, non Simonis Petri successores, palam exercent: sed ad quædā alia dogmata de quibus inter cæteros Epiphanius & Theodoritus copiosè scripsérunt. Supereft quod isti dicunt, si hæretici occiderentur, fore ut paucorum hominum uitæ parcatur, quum parvulus sit Christus gressus, et in eo etiā innumerabiles sint sectæ. Hoc verò tam calumniosè tamque ineptè aduersum nos dicitur, ut respondere me pudeat. Nam, quod infinitis penè locis repetere cogor, & infideles, & eos qui simplici errore peccant, & quorum tantum vita reprehenditur, ab hæreticis discernimus: deinde inter ipsos hæreticos magna esse errorum discrimina, & multiplices circumstantias fatemur: eaque omnia prudenter & diligenter consideranda monemus, ut neque nimia indulgentia pestes Ecclesiæ foueātur, neq; importuna seueritate Ecclesia dissipetur. Sed & Monachorum cum Anabaptistis comparatio (ut liberè dicam quod sentio) mihi videtur periniqua. Aliud enim est distincta rerum dominia tanquam cum charitate Christiana pugnantia tollere, quam voti causa in cœnobio cum certis hominibus facultates omnes suas communicare: aliud est mulierum usum communem statuere, quam cælibatum vouere: aliud est Magistratum ciuilem ex Ecclesia ciicere, iuriandum & omnes fori disceptationes ut impias damnare, quam contendere se ex privilegio vni tantum Abbatii obnoxium: aliud est dicere se non amplius peccare, & peccatorum remissionem, in qua felicitas nostra, vel Davide teste, constituit, expungere, quam perfectiore quandam vitam

profiteri. Neque verò hæc à me dicuntur ut Monachismo faueam, quem ego vt superstitionū lernam abominor: sed vt non satis rectè colligi posse docēa, si in Anabaptistas capitali supplicio animaduertere licet, Monachos pari ratione iisdem pœnis esse subiiciendos. Siquidem inter hos & illos nō minus quām inter apertam impietatem, & crassam superstitutionem discrimen esse videtur.

*Quintum argumentum: Quia Paulus non iubet occidi, sed deuatri hæreticum: & pro Iudeis optat fieri anathema.*

Obiiciunt isti Paulum, à quo monetur Titus, Tit. 3. c. 10. nō vt hæreticum hominem occidat, sed vt deuítet. Huic autem futilissimo argumēto quum eximius ille seruus Dei Bullingerus (quē, sicut debeo, honoris causa nomino) Decadis secundæ Sermone octa uo rectè respondisset, Paulum scilicet illic ad Apostolum scribere: quod si ad Sergium Paulum aut ad Præsidē aliquē scripsisset, proculdubio & illi præscriptorum fuisse officium suum: exortus est repente personatus iste Monfortius, qui aduersus optimum & doctissimum virum refutatione scripta ineptiarum & impudentiæ plena, exciperet fieri non potuisse ut Paulus eos iuberet interfici, pro quibus scribit se optare fieri anathema. Ridiculè profectò & inepte vt cætera omnia. Nam quod de Iudeis in genere dicit Apostolus, hoc ipse ad singulos etiam perditissimos hæreticos accommodat. Id autem perinde est acsi Matthæum argueret mendacii, qui scribat Christū per inuidiam fuisse Pilato traditum, quū testetur Apostolus Israelitas zelum quidem Dei habere, sed non secundum scientiam. Sed & idem noster Apostolus

Rom. 9. a. 3.

Refutatio.

Matth. 27. b. 18.

Rom. 10. a. 2.

Gal.5.b.12.

Philip.3.d.18.

Exod.32.g.32.

ex eadem illa gente pro qua optat fieri anathem<sup>a</sup>, quosdam optat excindi à quibus Galatæ perturbabantur, illos scilicet quos alibi vocat inimicos crucis Christi, & quorum finem esse perditionem nouerat. Deinde an nō hoc ineptissimum est, odium sceleris ab odio scelerati hominis non posse distinguer? Nam, obsecro, quum Moses à Domino peteret ex libro deleri nisi populo Israelitico peccatum remitteret, nōnne satis declarabat se se, quum tria hominum millia promiscuè paulo antè interficienda curasset, nullo ipsorū odio, sed potius idololatriæ execratione, & zelo Dei accensum, acerbas quidem illas, sed tamē iustas pœnas sumpsisse? Sic igitur res habet. Fidelis Dei minister opem ciuilis Magistratus in contumaces hæreticos, quibus coercendis Ecclesiastica disciplina nihil profuit, piè flagitate potest ac debet, ita ut nihilominus illorū vicem ægerrimè ferat, & precibus ac lachrymis eorum salutem Domino commendet. Magistratus quoque eosdem hæreticos in carnificum manus tradere potest, gemens & ipse, & Dominum serio inuocans, ut si fieri potest pœnitentiæ gratiā morituris largiatur. Alioqui quoties in iudicio vel Ciuali vel Ecclesiastico priuatum hominis odium interuenit, iam definit esse Dei iudicium. Est enim potius saeuissima carnificina, in qua scilicet profani homines Dei potestate ad priuatam iniuriam vindicandā abutuntur: quum scelera odiſſe, non homines, & propter scelera punire sceleratos, nō propter priuatam aliquam cupiditatem oporteat.

279

Sextum argumentum: *Quia uetus Paulus quenquam ante tempus iudicare.*

Refutatio.  
1. Cor. 4.2.5.

Sed quendam præterea Pauli locum Academici proferre solent, in quo prohibet Apostolus quenquam ante tempus iudicare. Quasi verò de publicis iudiciis vel Ciuilibus vel Ecclesiasticis illic agatur, ac non de iis potius quæ à priuatis hominibus fiunt, sicut ex præcedéntibus & consequentibus apparet. *Quod enim antè dixerat,*  
*Q V I M E I V D I C A T, D O M I N V S E S T: & quod*  
*paulo pòst sequitur, E T T V N C V N I C V I Q V E*  
*L A V S E R I T A D E O: satis declarat, sicut etiam do-*  
*& tissimi eius Epistolæ interpretes testantur, ea tan-*  
*tum iudicia, eo quidé loco, in Corinthiis reprehendi,* in quibus tanquam agonothetæ quidam de Mi-  
nistrorum præstantia iudicabant, alios quidem co-  
ronantes, alios vero dimittentes cum ignominia. Nam alioqui non publicè tantùm sed etiam priua-  
tim probādi sunt spiritus, & ex fructibus arbor cognoscenda, dummodo neque temeritate, neque de-  
trahendi studio, neque vitiosa alia cupiditate impul-  
si, sed vera ducti charitate, ad iudicandū accedam⁹.

septimum argumentum: *Quia mortis metus facit hypocritas.*

Addit superioribus rationibus hanc quoque Monfortius, *Quòd hæreticorum pœne capitales aditum pa-*  
*refaciant ad hypocrisim. At qui nemo non videt de cæte-*  
*ris criminibus idē posse affirmari. Neque vero hic*  
*scopus ciuili Magistratui propriè est propositus,*  
*vt animum regat: sed hic potius, vt externam tum*  
*in religione tum in ciuilibus commerciis concor-*  
*diam & tranquillitatē conseruet. Quum igitur va-*

Refutatio.

Quis propriè  
scopus Magi-  
stratui propo-  
sus.

Rom.13.a.3.

ria sint hominum ingenia, & plerosque quos virtutis amor non mouet, poenæ formidine ternerī necesse sit, vtrunque facit Magistratus, gladium scilicet gerens, partim ut bene agentes tueatur, partim ut terrori sit malè agentibus. Animum autem quum perspicere non possit, quanuis quoad eius fieri potest, laboret ut ciues quam optimè affectos habeat, tamen de externis tantum factis necessariò iudicat. Quamobrem siue per hypocrisim, siue ex animo quispiam à perturbāda religione vel alia Reipublicæ parte abstinuerit, nihil habet Magistratus quod in eo punire possit. Sed ut plurimi sint hypocritæ, à publicis tamen iudiciis abstinere non debet. Nam,

- » vt ait Augustinus, timor poenarum etsi nōdum habet bonæ conscientiæ delectationem, saltem intra claustra cogitationis coērcet malam cupiditatem.
- » Ut autem medicina omnibus non prospicit, nemo tamen, nisi prorsus insanus, propterea contemnendam esse existimarit.

*Octauum argumentum: A quorundam exemplo quibus id pesimè affit.*

Tandem verò ut planius etiam fiat quo spiritu isti impellantur, operæ pretium est quoddam eorum argumentum pertractare, in quo fideles & verè pias Ecclesiæ apertè oppugnant. Clebergius ergo postquam optimos illos & fortissimos principes qui Monasteriæ Anabaptistarum inauditos furores compescuerunt, ut rabidos, ut sanguinos accusauit, tandem in hæc verba prorumpit: *Ostendisse Deus uidetur, inquit, quantopere illa sibi placarent, quum effecit ut ille ipse eius sententiæ, id est capite puniendorum Anabapti-*

starum auctor, vir literatus & toto orbe celebris, non multo post  
 alios inermes imperfectos, ipse in acie cum multis cœderit: id  
 quod ei propter illud commissum accidisse multi pijs credunt. Sed  
 & Monfortius canina quadam rabie Anglis no-  
 stris fratribus insultans, Euentus, inquit, ostendit quales  
 fuerint Euangelici, qui Euangeliū admiserant oacti. Scιunt hoc  
 qui illinc magnis difficultatibus effugunt, & qui nihil ab Euangeliō  
 alienius esse prædicant. Nec mirum si par pari refertur, ut  
 qui uim fecerunt, uim patientur. O facinus audax & impu-  
 dens! Téne verò Clebergi, quisquis es, tam effræ-  
 ni impudentia esse vt insignem nostris temporib-  
 us Christi Apostolum, etiā post mortem, ista pe-  
 tulanti rabie appeteres? Sed hoc nimirum ipsius  
 laudibus deerat, vt à te & tui similibus reprehen-  
 deretur. Cæterūm cladi illius funestissimæ neutra  
 pars, vt opinor, reminisci solet. Itaque nō commit-  
 tam vt, quod astutè captas, harum calamitatū cau-  
 fas cum partium offensione commemorem. Tan-  
 tūm dico sceleratum esse te qui ( vt eum hominem  
 tibi eius sententiæ auctorem fuisse concedam ) de  
 optimo consilio & planè illis temporibus necessa-  
 rio tantum virum reprehendas. Optimum enim  
 consilium cur non vocem, quod vno consensu tot  
 pios Principes, tot clarissimas ciuitates, tot fideles  
 Ecclesiæ amplecti non puduit? Et tu, homo impu-  
 dentissime, repertus es, qui quod omnes, præter v-  
 num & alterum, comprobarunt, vt sœuum & cru-  
 dele accusares? Consilium, inquam, illud, quod nisi  
 valuisset, oppressæ nunc Ecclesiæ à perditissimis A-  
 nabaptistis tenerentur, nulli in ciuitatibus Senato-  
 res tuti federent, castitas & pudicitia ab omnibus do

Refutatio.

mibus ac familiis exularet. Cedò verò vnde tandem hoc consilium Deo displicuisse colligis? Quia, inquis, illius author paulo post in acie occubuit. Quid? an propterea bellū illud suscepitū erat? an cōtra Anabaptistas illius auspiciis certabatur? Deinde quām egregia, obsecro, hæc est animadversio, Qui paulo antē inermes censuerat interficiendos, paulo post in acie occidit: ergo probabile est eum crudelitatis pœnas dedisse. Quid si enim inermes illi iustius interfecti sint quām ulli prædones aut homicidæ? An verò mori pro patria pugnantem, adeò indigna mors est viro bono, ut cum ira Dei coniuncta videatur? Atenim multi pij propter hoc commissum id illi euenisse credunt. Sanè si vera dicis, mirum est te vnum post tot annos repertum qui hoc arcanum proderes. Nam alios non ignoras longè diuersas causas attulisse. Contigit enim in istius innocentissimi viri cæde quod in aliis plurimis, ut quisque pro suo arbitrio de ea iudicaret. Sed qui Spiritu Dei feruntur, iudicium hoc integrum Deo relinquunt. Est enim periniquum ex earum rerum euentu quas bonis & malis cōmunes esse voluit Dominus, de quoquam etiam viuo, nedum mortuo, iudicium ferre: & qui ea scrutatur quæ Deus nobis occulta esse voluit, curiositatis reprehensionem effugere certè non potest. Cæterū de Angliæ Ecclesia nuper florentissima, nunc verò (quando ita Deo visum est) afflictissima, dic quæso Monforti, si vel tātillum Christianismi haberet, an ita loquereris ut tu facis: Exulat ex Anglia, religionis causa plurimi, non tantū ex vulgo fortissimi homines: sed etiam nobilissimi principes. Plurimi in patria mortem fortissimè subierūt:

plurimi in carceribus venerádi, & ipsiis quoque aduersariis formidabiles heroes martyrii palmam cupidissimis animis expectant. Pii omnes & publicè & priuatim istam Ecclesiæ Anglicanæ dissipacionem deplorant, publicè & priuatim omnes precipibus & lachrymis omníque officiorū genere suam in optimos & charissimos fratres charitatem declarant. At tu, Monforti, qui clemétiæ patrociniū suscepisti, vñus inuētus es tam ferreus, tā ferus, tam inhumanus, vt quos cæteri optimo iure commiserantur, eos vt iustè vexatos calumnieris: quos cæteri à Deo exerceri & probari intelligunt, illis tanquam iusto Dei iudicio, propter crudelitatē quam in alios exercuerunt, exagitatis insultes: quorū denique gratiam & fauorem nuper editis præfationibus captabas, eos repente in mediis calamitatibus irrideas. Quam verò crudelitatem, quam vim illis exprobrare potes? an quòd crudelissimis illis feris pepercérint quas tanquā in cauea inclusas, regnante sanctissimo illo principe Edoardo, tandiu in potestate habuerunt, à quibus nunc emissis crudelissimè vastatur Ecclesia: an quòd religionis aduersarios, quos vel solo nutu interficere poterant, verbo Dei potius ad Christū allícere quām gladio coercere studuerunt? Et te non pudet iis tanquam crudelibus insultare, in quibus, præter nimiam fortassis lenitatem, nihil habes quod reprehendas? O mites & mansuetos Academicos! ô Christianæ mansuetudinis egregios vindices! Imo verò Domine & Pater cælestis qui non vis afflictos affligi, eos præser-tim in quibus Tyranni vnigenitum Filium tuum

m.i.

persequuntur: Domine qui Doeg Idumæum propter ea iusto tuo iudicio vltus es, quique toti Idumæorum genti propterea parcendum non putasti quod afflictio tuo populo insultarat, istos paria committentes paribus poenis propter nomen tuum viliscere: Christianis Principibus fortitudinem & constantiam inspira ad istos omnes Ecclesiæ tuæ perturbatores excindendos: Ecclesiam tuam præcipue aduersus domesticorum hostium insultus tuer: exilibus denique tuis angulum aliquem concede donec in iudicium venias filios tuos redempturus, in quo nomen tuu immortale, frustra frenemente & ringente mundo, laudibus concelebrent. Sed quod me istorum scelerata improbitas abripiuit: Ad rem igitur redeo.

*Nonum & ultimum argumentum: A veteris Ecclesiæ auctoritate.*

Supereft vnu, ni fallor, argumentum quod à multis iactari solet, Patru scilicet exemplu, seu veteris Ecclesiæ auctoritas. At ego primùm omniū responsōdeo quod omnes & qui iudices mihi, vt spero, concedēt: discrimē aliquod temporū & Patru esse constitutendum. Nā quod ad tēporis rationē attinet, quū Deo nō placeat vno semper modo Ecclesiam suam administrare, sed interdum eam externis præsidiis sustineat, interdum ab omnibus pariter mundi protestatibus oppugnatam solo suo verbo tueatur, mirum videri non debet, quo tēpore Cæsares rerum domini Christum ex professo oppugnabant, neque ullus erat Magistratus qui externam Ecclesiæ pacem procuraret, hæresin capitali supplicio non fuisse coercitam, & Apostolos ac veteres illos Epi-

scopos ad Magistratus præsidium non confugisse. Nam eadem quoque ratione factum esse constat, vt ab Apostolica Synodo quæ à Luca describitur, usque ad Constantini Magni tempora nullum legamus in tantis turbis & dissidiis Ecclesiarum habitum conuentum, in quo aduersus hæreses communii concilio quicquam decerneretur. Quamobrem qui ex illorum temporum exemplo quibus flouruisse Ecclesiam constat, statuunt hæreticos non esse capitali supplicio à Christiano Magistratu afficiendos, necesse est ut plurima quoque alia reprehendant, sine quorum præsidio tot annos stetit Ecclesia, quæ tamen hoc tempore quum nobis à Deo offeruntur, sine eius cōtemptu, repudiari non possunt. Paulo pòst verò quum Domino visum esset Cæsares & Reges aliquos tanquam præfides Ecclesiæ suæ adiungere, & statim prorupisset Arius, fateor quidem Constantinum eius vitæ pepercisse, & hoc exemplum alios postea Principes fecutos. Sed quid si hac in parte, quanuis nihil sine decreto Dei interuenierit, Constantinus tamen culpa non caruit? Debuerat enim profectò Christi maiestate adeò impiè & pertinaciter violatā seuerius quam suā vindicare. Deinde quam præpostorè interdum bonus ille Princeps paci studuerit, nō tātūm ipsius Arii restitutio, sed & Athanasii illius Magni exiliū declarat. Præterea quum recés adhuc esset Cæsar is in Ecclesia præsidium, quid mirū est initiorē illius usum initio & Cæsari & Episcopis placuisse? Iubet enim Christiana charitas, ipsaque adeò humana prudentia ut à mitioribus remediis auspicemur.

m.ii.

Sed quid ista consecutari opus est? Nam ut Arii vitæ  
Constantinus pepercerit, in eos tamen qui Arii li-  
bros celassent, editum capitale cōstituit, nedum in  
eos qui partes eius secuti, Ecclesiæ cōcordiam scin-  
derent: neque eo quisquam ex Episcopis Cæsarem  
ut crudelem voce aut scripto reprehendit. Eandem  
quoque pœnam in eos sanxit Iustinianus qui Se-  
ueri illius Antiocheni scripta nō cremassent. Quid  
est igitur quod isti nobis perpetuum veteris Eccle-  
siæ consensum opponunt? An isti religionis curam  
à se remouerunt? an ab hæreticis sibi non putarunt  
metuendum? an dubitarunt capitales pœnas in fa-  
tiosos & doctrinæ Ecclesiæ repugnantes consti-  
tuere: quibus certè abundè testati sunt, etiam si eas re-  
ipsa vel mollitie animi, vel aliquam ob cau-  
sam nō sunt executi, quid facturi essent si aduersa-  
riorum importunitas alia ratione coērceri nō pos-  
set. De Augustino verò quid dicam? Ego certe de il-  
lo non aliter sentire me profiteor quam de eo qui  
in explicandis præcipuis Christianæ religionis ca-  
pitibus veteres omnes tū Græcos tum Latinos scri-  
ptores, meo quidem iudicio, longo interuallo supe-  
rauit. Verùm si eius exemplum sine discrimine se-  
qui liber, quia Donatistis non modò hæreticis val-  
de seditiosis, sed etiam crudelissimis homicidis pœ-  
nam capit is irrogandā non cēsunt, quid supereftni-  
si vt sceleratis omnibus parcatur, modò reliquis sce-  
leribus hæreseos crimen adiunixerint? Quid igitur?  
nēpe, vt ego quidē arbitror, non spectabat Augusti-  
nus quum pro Donatistarū vita intercederet, quid  
Principibus in hæreticos liceret, vel quid Donatistæ

Nicæph. Eccles.  
Historia libro 8.  
cap. 25.

Idem libro 17,  
cap. 91.

mererentur, sed quod expedire nouerat in hac cau-  
 sa, id ut fieret à Cæsarīs Præfectis cōtendebat. Nam  
 quia nō de vno aut altero agebatur, sed per singulas  
 Africæ ciuitates ita iam peruagabatur hoc malū, ut  
 penè plures hæreticis quām Catholicis fauerēt, &  
 pecuniariā multā videbat ad plerosque in viā re-  
 uocandos satis valuisse, idcirco minis potius quām  
 capitalibus suppliciis, in hac quidē causa, agendum  
 putabat. Id autem quām rectē censuerit, nemo for-  
 tassis post tot elapsa secula satis commodē iudicare  
 possit. Nos quidem moderatam seueritatem sāpe  
 iam testati sumus maxime nobis probari, sed ita ut  
 mollities vitetur. Ex hoc autem Augustini in vna  
 causa consilio quām rectē quæso vniuersalem do-  
 trinam constituas? Nam quid in genere censuerit  
 Augustinus, ex his verbis satis intelligi potest. Is igit  
 tur contra Parmeniani Epistolam scribens, Ex oc-  
 culto, inquit, imperio Dei per manifestū hominum  
 imperium multa quibus coërcētur constituta sunt,  
 nec solūm hæreticis quoquo modo Christiano no-  
 mine dealbatis, sed etiā ipsis Paganis. Nā vtique &  
 ipsi falsa religione sunt impii, quorum simulacra  
 euerti atque confringi iussa sunt recētibus legibus,  
 inhiberi etiam sacrificia sub terrore capitali. Hæc  
 Augustinus: minime certe, ut opinor, hoc edictum  
 ut rectum & laudabile oppositus aduersario, si  
 contra verbum Dei scriptum esse credidisset. Idem  
 autem quum pro mitiganda Donatistarum pœna  
 intercedit, nōnne vbique extrema commeritos es-  
 se confitetur, & mansuetudinem Imperatorum in

Lib. I. ca. 7.

m. iii.

eo laudat, quod summo iure cum factiosis illis & insanis hominibus non agerent? Ex quo efficitur verum esse quod paulo ante dixi, Augustinum videri non quid in genere fieri iure posset disputasse, sed quod in hac vna cum Donatistis controuersia expedire certas ob causas cognoscebat, hoc ut fieret summo studio contendisse. Quod si Patrum auctoritas tantum hic valet, ut ex ea decidi haec controuersia posse videatur: age, cur non inter Patres Mosen numeramus, qui quum alioquin esset homo omnium clementissimus, tam seuerè idololatriam vindicauit: cur non Asan in Patrum numero recensemus, qui capitalem poenam in eos sanxit qui Deum Israelis non inuocassent? cur non Iosiam pro Patre habemus, qui cunctos Excelorum sacerdotes malauit? Sunt enim isti testes omni exceptione maiores, & de his rebus clara Dei voce collaudatur. Quæ quum ita se habeant, licet nobis, ut ego quidem arbitror, affirmare, neque ipsis Scripturæ locis, neque argumentis in humano cerebro fabricatis, neque Patrum exemplo opinionem de nonoccidendis hereticis posse satis confirmari.

### Confirmatio propositæ quæstionis.

Iam verò maxima operis parte confecta, id est argumentis quæ in contrariam partem proferri solent ordine refutatis, quatenus quidem ea ex Bellii faragine colligere nobis licuit, reliquum est ut eodem ordine quo istorum rationes refellendas putavi, ego meas quoque recensem. Meas autem voco, quas ex aliorum doctissimorum hominum scriptis maxima ex parte collegi, quorum auctoritas in Eccle-

**Exod. 32. f. 26.**

**2. Paral. 15. c. 13.**

**2. Reg. 13. c. 20.**

flia Dei tantum certè valēt ut à Bellio contemni si-  
ne scelere & flagitio non potuerit . Lutherum dico,  
Bucerum, Capitonem, Regiū, quos paucis ab hinc  
annis Dominus ad se euocauit: ex iis autē qui, Dei  
gratia , sunt adhuc superstites , & in opere Domini  
strenuè laborant, doctissimos quoisque, quos omnes  
nominatim appellare hīc nolui, ne sola tantorū ho-  
minū auctoritate aduersarios obruere velle videar.  
Certè vel ex eo apparet quanta fuerit Bellii in hac  
consarcinanda farragine fides & integritas , quòd  
eum non puduit inter cæteros Lutherum & Calui-  
nū nominare, duos illos eximios Dei seruos , quos  
ipse satis nouit ab ea quam tuetur impietate pror-  
sus alienos. Impietatem enim cur nō vocem effrā-  
nem illam quiduis sentiendi ac docendi licentiam?  
Nam quod ait Monfortius ut iter sibi scilicet ad fu-  
turam defensionem muniat , Nonnullos qui initio  
quum pauperes essent, detestabantur persecutores,  
postea vires naçtos , omissis Christi armis, Phari-  
ſæorum arima sumpsisse, sine quibus potentia suam  
tueri nequeunt: hoc est profecto eiusmodi ut in eos  
ex quorum libris pleraque excerpti, sine aperta im-  
probitate & manifestissima calumnia dici non pos-  
sit. Sed ad rem accedamus . Brevis enim esse consti-  
tui, partim quòd res ipsa per se minimè sit obscura,  
partim quòd sublati iis quæ ab aduersariis opponi  
solent, planum iam & expeditū iter nobis factum  
esse videatur.

Puniendos esse hæreticos.

In primis igitur meminisse oportet de certo ho-  
minum genere hīc agi quos tum ab infidelibus , ut  
m.iiii.

Iudæis & Turcis: tum ab iis quorum duntaxat vita  
 seu mores reprehenduntur, vt furibus & homicidis:  
 ab iis denique qui nuda simplicitate & ignorantia  
 non affectata citra factionis studium à veritate ab-  
 errant, iam antè ex verbo Dei distinximus. Hæreti-  
 cos enim eos demū ostēdimus vocari, qui quum fi-  
 delium nomen ambient, & ex verbo Dei legitimè  
 sint conuicti, tamen suum iudicium secuti, ita perti-  
 raciter & præfractè aduersus Ecclesiam falsa quæ-  
 dam in religione dogmata defendūt, vt eius pacem  
 & consensum factionibus suis non dubitent lace-  
 rare. Istos ergo puniēdos esse non est quod pluribus  
 rationibus cōfirmemus, quum nemo (quod sciam)  
 præter istos Academicos, sit adhuc repertus qui sim-  
 pliciter quæsierit an sint vlla pœna afficiendi: adeò  
 vt in yniuersa Stoicorum doctrina nullū tam ab-  
 surdum paradoxon inueniri posse credam. Sunt  
 autem portentosa hæc ingenia maximæ in Eccle-  
 sia Dei pestes, & vera diaboli ad euertendam Eccle-  
 siam instrumēta. Nam vt maxima pars hominum  
 parum honestè viuat, aut ab externis hostibus Ec-  
 clesia infestissimè oppugnetur, tamen quandiu sal-  
 uia est doctrina, apparet hominibus tanquam Cy-  
 nosura, cuius splendor piis omnibus prælucet, vt in  
 mediis tempestatibus cursum tenere possint. Cor-  
 rupta vero doctrina, & ita quidem corrupta vt sub  
 Dei specie diabolus lateat, ecquid tandem supereſt  
 nisi vt plurimi pro Deo diabolum amplectantur,  
 plurimi, spe cognoscendæ veritatis abiecta, omnem  
 religionem abiificant, horrenda denique in Ecclesia  
 Dei perturbatio exoriatur? Est enim longè grauiſ-

simum hoc malum, quum transformatus Satan in-  
 tra ipsa Ecclesiæ viscera grassatur. Itaque pròptio-  
 re & acriore quoque remedio eget, tantum abest ut  
 depascétem hanc gágrænam coercere non debea-  
 mus: aut etiam, si ita necesse sit, ut reliquo corpori  
 consulatur, cauterio non resecare. Sed & verbi Dei  
 manifesta testimonia habemus, quibus in hac sente-  
 tia cōfirmemur. Nam ut leges taceā in blasphemos  
 & pseudoprophetas perscriptas, ut Mosis, Asæ, Io-  
 siæ exempla præteream: quū enim à quo priuatim  
 læsi sumus, si neque nos, neque Ecclesiam audierit,  
 verbo Dei iubeamur pro ethnico & publicano ha-  
 bere, idem certè multo magis de eo faciendum est  
 qui doctrinam ipsam conuellit. Idque Apostolus  
 in Phileto & Hymenæo hæreticis usurpauit, quum  
 eos Satanæ traderet. Nam qui ex Ecclesia Dei eii-  
 citur, in qua propriè Deus regnat, aduersariæ po-  
 testati deditur, neque ciuitatis amissæ ius antè reci-  
 pit quàm postliminio sit reuersus. Ex quibus om-  
 nibus vñà coniunctis efficitur istos quibus hæreti-  
 ci videntur non esse puniendi, opinionem in Eccle-  
 siam Dei conari longè omnium pestilentissimam  
 inuehere, & ex diametro repugnantem doctrinæ  
 primùm à Deo Patre proditæ, deinde à Christo in-  
 stauratæ, ab vniuersa denique Ecclesia Orthodoxa  
 perpetuo consensu usurpatæ: vt mihi quidem ma-  
 gis absurdè facere videantur quàm si sacrilegos aut  
 parricidas puniendos negarēt, quū sint isti omnibus  
 hæretici infinitis partibus deteriores. Quam-  
 obrem ad hanc quæstionis partem probādam plu-  
 ribus verbis non ytar, quam nimirum confido o-

2. Tim. 2. b. 13.

 Levit. 24. c. 16.  
 Deut. 13. & 17.  
 2. Para. 15. c. 13.  
 & 34. g. 31.

Matth. 18. c. 17.

1. Tim. 1. d. 20.

mnes nō prorsus iniquos iudices mihi cōcessuros.  
Hæreticos iure posse à ciuili etiam Magistra-  
tu puniri.

Huius autem quæstionis reliquæ duxæ partes plu-  
ribus argumentis videntur confirmandæ. Prius er-  
go à ciuili Magistratu puniri, deinde etiam inter-  
dum morte multari posse ac debere ostendemus.  
Sit autem primum hoc arguméatum. Quum Deus  
omnia propter se metipsum condiderit, præcipiuus  
humanæ societatis finis est, vt Deus ab hominibus  
suo honore afficiatur. Huius autē societatis custos  
ac gubernator constitutus est ciuilis Magistratus.  
Debet igitur in societatis huius administratione  
præcipui illius finis rationem summam habere: &  
quāuis, quoad eius fieri potest, eum prouidere oport-  
eat nequid discordiæ in mutuis ciuium commer-  
ciis interueniat, tamen quum hic non sit vltimus  
& præcipiuus humanæ societatis finis vt inter se  
homines pacatè viuant, sed potius vt pacatè viuen-  
tes Deum colant, Magistratus officium est vel ex-  
ternæ pacis iactura, si aliter non potest, verum Dei  
cultum in sua ditione redimere, tantum abest vt à  
procuratione religionis abstinere possit aut debe-  
at. Conseruare autem religionem non potest, nisi  
pertinaces & factiosos ipsius contéptores iure gla-  
dii coérceat. Relinquitur ergo, istos qui Magistra-  
tum à religione summouēt, vel nō intelligere quis  
sit verus societatis humanæ finis, vel quod probè  
intelligunt dissimulare. Verum autem esse quod di-  
xi, humanæ scilicet societatis, quoad externam di-  
sciplinam attinet, custodem ac gubernatorem con-

stitutum esse ciuilem Magistratū, idque in primis  
in causa religionis, de qua à nobis quæritur, sic pro-  
bo. Illi certe præfici quempiam oportet qui exter-  
nam eius disciplinam custodiat. Duæ sunt autem  
omnino gubernationū species. Vna est ciuilis Ma-  
gistratus, altera Ecclesiastici ministerii. Hanc igi-  
tur potestatem, per quam externa Ecclesiæ discipli-  
na custodiatur, necesse est ut nisi illi tribuas, ad hoc  
transferas: nisi, quod est intolerabile, *αἴραψιεν* ma-  
lis in Ecclesiam inuehere. Atqui hoc ius tribuere  
Ecclesiasticis ministris non potes quin ipsorum  
claves cum Magistratuū gladio permisceas. Con-  
sequitur ergo ad ciuilem Magistratum pertinere.  
Istam verò diuersarum iurisdictionum conturba-  
tionem sic ostendo. Esto, exempli gratia, Anaba-  
ptista quispiam delatus: conueniet Presbyterium,  
vocatus ille respondebit, sibi cum peccatoribus ni-  
hil fore negotii. Quid Ecclesia: nēpe ex verbo Dei,  
si corrigi alia ratione nō potuerit, Satanæ eum tra-  
det, ut discat non blasphemare. Ille contrā se libēs  
& vltrò ab Ecclesia seiunget. Sequentur eum alii fa-  
natici, & ita fiet defectio. Prodibit deinde vel Serue-  
ti, vel Schuenfeldii, vel Osiandri discipulus aliquis:  
vocatus aderit, sed ut Ecclesiam iudicet: eiēctus ex  
Ecclesia, discipulos etiam inueniet. ita altera factio  
nasceretur. Tādem apparebit Academicus quispiam,  
probus nimirum & modestus homo. Vocatus, præ-  
fabitur se discendi cupidum omnia legere, omnia  
audire solere. Quòd si docere velis, rogabit ne vis il-  
la suæ conscientiæ afferatur. Tandem si instare per-  
gas, & manifestam ipsius in deprauandis Scripturæ

testimoniis impudentiā vrgeas, huc euadet, vt, contra veterum Academicorum decretum, qui se hoc vnum scire dicebant, quòd nihil scirent, omnes dicat præter se vnū nihil scire: & tamen testabitur se neminē dānare. Denique vt omnia coneris, nihilo plus ages quām si des operam vt cum ratione insanias. Eie&tus ex Ecclesia, seorsim suum sibi cœtū paulatim coget, & vires aliquas na&tus, insaniae ludum aperiet. Quid h̄ic Ecclesia, Clamet ad Domum, dices, & ille exaudiet. Clamabit certè, & frustra reluctante Satana, conseruabitur. Sed & qui esūrit clamabit, nec expectabit tamē vt ab Angelo pascatur, Heliæ exemplo: sed cibum datum, vel bonis artibus quæsitum tanquam ex ipsis Dei manu accipiet. Esto igitur in Ecclesia Magistratus Christianus. Quæro vtrum sit ex his duobus existimandum, eūmne qui ciuium suorum in rebus profanis dissensionem non ferret, quum de re maxima & præcipuo societatis humanæ fine agitur, quiescere oportere: an verò potius iis quibus alioqui nullū Gladii ius concessum est, hanc coercionem usurpare licere. Ecquis verò non videt si ille conniveat, imminere Ecclesiæ, in illa quidem regione, summū periculum: sin autem isti in illius possessionem inuadant, sicut Antichristus Romanus fecit, fore ut Potestatibus quæ à Deo distinetæ sunt perturbatis, summa rerum omnium perturbatio nascatur? Quid si enim Pastores ipsi, sicut quotidie contingit, in Lupos degenerēt: Coacta Synodo, dices, ab aliis coérceantur. Rectè profecto. Nam idcirco veteribus Canonibus s̄æpe decretum fuit vt Synodi per

singulas Diœceses aliquoties singulis annis cog-  
 rentur: & inter Ministros , alioquin pari potestate  
 præditos, gradus aliqui sunt ordinis causa constitu-  
 ti. Sed quid si inferiores & vocati & dānati non pa-  
 reat? Quid si cogiSynodum vniuersalem oportue-  
 rit,cuius tandem auctoritate conuocabitur: an Epi-  
 scopi vniuersalis , quod verum esse Antichristi no-  
 mē Gregorius ipse Papa confitetur: Ergo quocun-  
 que te vertas , nisi ciuili Magistratui ius illud attri-  
 bueris,præfractos & factiosos externæ Ecclesiastici-  
 cæ disciplinæ contemptores pro criminis grauita-  
 te coercendi , necesse est infinitam & incredibilem  
 aeternam sequi , nisi Dominus remediū aliquod extra  
 ordinem attulerit . Sunt enim homines ita nati vt  
 hominum etiam imperio ipsos coerceri necesse sit.  
 Quid si verò , dices , potestate sua ciuilis Magistra-  
 tus abutatur:an non in idem,aut potius multo ma-  
 ius periculum incidet? Ideo verò fateor & agno-  
 sco . Neque enim in hoc mundo ita potest Ecclesia  
 constitui vt nullis sit periculis obnoxia . Sed quo-  
 ties impios Principes habebit Ecclesia, vel ita me-  
 rentibus peccatis nostris , vel arcano quopiam Dei  
 iudicio,vt qui probati sunt manifesti fiāt:nostrū est  
 in rebus etiam iniquissimis patienter nostram for-  
 tem ferre,in rebus autem impiis Deo potius obedi-  
 re quam hominibus,sed ita vt nullam seditionem  
 excitemus . Solet enim Dominus quoties Ecclesiā  
 suam ordinariis præsidiis destituit,extraordinariis  
 iudiciis eam conseruare,sicut Heliæ,Ioiadæ,Aposto-  
 lorum, nostris denique temporibus contigit. Inte-  
 rim verò Tyrannicæ crudelitatis metu ciuilem

Magistratū suæ iurisdictionis præcipua parte spoliare,& ordinario prætermisso remedio aliud extra ordinem à Deo flagitare nobis non licet. Stat enim fixum illud Apostoli verbum, Omné anīmā superioribus potestatibus subiectam esse oportere.

**Rom.13.2.5.** Secundum argumentum: Ab auctoritate verbi Dei.

Secundum verò argumentum est eiusmodi. Certo est hoc ab omnibus requiri, vt gloriæ Dei seruant. Est enim Dei gloria non modò totius societatis humanæ, sed etiam singularū eius partium, atque adeò singularum functionum præcipiuus & vltimus finis, ad quem singuli actiones omnes tum animi, tum corporis referre debent. Quum autem sicut in amplissima familia distincta sunt seruorum officia, sic etiam in hoc mundo diuersæ sint functiones, apparet non uno & eodem modo gloriam Dei posse à singulis promoueri, sed ex eius demum muneris ratione quod à Domino acceperunt, vt ii scilicet quorum publica est functio, publicè: quorū priuata, priuatim Dei gloriæ seruant. Ex quo efficitur, quum Regem iuberet Dominus acceptum à Leuitis Legis volumen legere, vt disceret seruare quæ in eo scripta sunt: id fuisse ita intelligendum, vt non tanquam priuatus aliquis vitam ex verbo Dei instituere, sed tanquam Rex officium suum ex Legis præscripto iuberetur administrare; id est (vt rectè explicat Augustinus) non tantum viuendo fideliter, (sic enim seruit Deo quatenus homo est) sed etiam quatenus Rex est, id est leges iusta præcipientes, & contraria prohibentes conuenienti rigore san-

**Celoff.3.c.17.**

**Dent.17.d.19.**

**Epi. ad Bonifacium 50.**

ciendo. Sed fortassis ista pertinacibus quorundam animis non sufficiūt. Dicent enim hæc propriè ad Israelitarū Reges pertinere, & nondum etiam ex iis videri Regis officiū ad religionis usq; negotia porrigi. Ego verò respondeo Ciuilem potestatem apud Israelitas neque latioribus, neq; angustioribus finibus quam apud cæteras gentes circumscriptā. Dein de istius præcepti non esse quærendos meliores interpres ipisis Regibus qui hoc edictō sunt cōprehensi. Illorum igitur vitam & facta consideremus: eorum dico quibus præcipue curæ fuit Domini mandata non tantum cognoscere, sed etiam re ipsa præstare. Prodeat autem primus Dauid ille quem Dominus inuenit secundum cor suum, & quē etiā Solomoni ut singulare exéplar proposuit. Hic igitur quomodo præcepta Domini custodit: an dun-taxat ut priuatus homo aliquis: an ciuilia tantum negotia ita administrans ut religionis externam disciplinam non attingeret? Nam in virtute Domini lætatus est: sperauit in Domino, & ideo non est commotus: pauit quoque populum suum cum integritate cordis, & prudentia manuum eum deduxit: quinetiam ut Propheta annūtiauit in seculum, & laudauit Deum Iacob. Sed à religione an abstinuit? Omnia, inquit, cornua impiorū confringam, & cornua iusti exaltabuntur. Et alibi officium Principis describens, Mane, inquit, perdam omnes impios in terra, & excindam de ciuitate Domini omnes eos qui operātur iniqua. Sed hæc fortassis ad solos facinorosos pertinent. Quasi verò generalius quicquam dici potuerit, & eos omnes non compre-

A&.ii.4.22.  
1. Reg.3.c.14.

Psal.21.a.1.  
& b.7.

Psal.73.g.7a.

Psa.75.b.10.

Ibidem b.11.

Psal.101.b.3.

hendarat in quos extant leges à Domino perscriptæ.  
 Hic igitur si Dauidem ita cōpellasset Bellii factio:  
 Quid ais eximie serue Dei? tūne eos etiā excindes  
 qui cæteris in rebus boni viri quū sint, tamē in Dei  
 cultu cōstituendo à te dissentient? Nam certè nul-  
 lum hōminum genus tibi minus est metuendum:  
 nemo est ad fidem cogendus: debes finere ut crescāt  
 zizania, ne triticum euellas: denique ista cognitio  
 ad summū Pontificem pertinet. Si Bellius, inquam,  
 aut Monfortius, aut Clebergius, aut ex ista hominū  
 fæce quispiam Dauidem his verbis compellasset,  
 quid facturum eum fuisse arbitrabitmur: nonne vo-  
 tum suum illis puniendis præstiturum? Sciebat  
 enim has esse præcipuas Regis dotes, Diligere iu-  
 stitiam, & odio habere impietatem. Sciebat cum  
 non satis seriò odisse impietatem, qui pro facul-  
 tate quam à Deo accepit, etiam in aliis, eam non  
 impeditat. Sciebat denique Dominum hoc à Regi-  
 bus & Principibus exigere, ne Vnctos Domini &  
 Prophetas attingant: affligi autē ab eis videri, quo-  
 ties pro potestate à Deo accepta, non prohibent ne  
 affligantur. Itaque dubitari non potest quin re ipsa  
 Dauid præstiterit quod Domino non spopondi-  
 set, si externæ disciplinæ Ecclesiasticæ cura ad Prin-  
 cipē non pertineret. Alioquin, obsecro, quo iure Da-  
 uid in arca Dei deducenda, & toto eius cultu inter  
 Leuitas distribuendo tam fuit diligēs? Neque enim  
 dubium est quin penes quem ius est eas res stabilien-  
 di, penes eum sit custodiendi potestas. Quid autem  
 Salomon? nonne mandata patris exequitur: adeò  
 quidem ut ipsum quoque Pontificem sacerdotii di-

Psal.45.b.7.

Psal.105.b.15.

2.Sam.6.

1.Paral.23.24.  
25.2.6.

gnitate spoliet? Simulatque verò à patris vestigiis  
 discedit, nōnne deseritur à Deo, & regnum Israelis  
 propterea in duas partes scinditur? Et hoc quidem  
 omnium malorum principium fuit, ex eo scilicet  
 quòd Salomon veterē Ecclesiæ disciplinam asper-  
 natus, nouam fabricare voluit: tantum abest ut ab  
 eius gubernatione Principes sint remouēdi. Ad A-  
 san veniamus, qui primus à Dauide & Salomone  
 inter bonos Principes numeratur. Is igitur suffitū  
 quidem facere noluit, ut postea fecit Vfias, neque Ec  
 clesiastici ministerii functionem sibi vēdicauit, sed  
 abstulit altaria aliena. At hoc quanuis fateri coge-  
 tur Monfortius ad religionē pertinere, dicet tamen  
 fortassis hæreticorum diuersam esse rationem, qui  
 scilicet alienos deos colendos esse non doceant, de  
 quo postea suo loco differemus. Quid igitur am-  
 plius fecit Asa? Deiecit Excelsa. Atqui in quibusdā  
 Excelsis vero Israelis Deo sacrificabatur. Cur igi-  
 tur deiecit? quia ibi ab hæreticis sacrificabatur, qui  
 & ipsi nimirū egregie se tuebātur antiqua Patrum  
 consuetudine, sicut ex Christi cum muliere Samari-  
 tana colloquio cōstare potest, & verum Dei cultum  
 iactabant. Num igitur Asa suo iudicio eos reliquit?  
 nū ad Sacerdotes remittit, quos satis sciebat ab ipsis  
 præfractè contemni? Minimè verò: sed quum ma-  
 nifestum Dei verbum haberet de sacrificiis eo de-  
 dum loco faciédis quem Dominus elegisset, & isti  
 sub pietatis specie Ecclesiæ Dei bellum apertū in-  
 dixissent, euertit Excelsa nō minus quàm idolola-  
 triarum simulacra, & lucos. Deinde non contētus  
 hærefes & manifestas idololatrias excidisse, popu-  
 n.i.

1. Reg. 2.c. 27.  
 & 11.b. 11.

2. Para. 26.d. 19

2. Paral. 14. & 15.

Iohan. 4.c. 26.

lum conuocat; cultum Dei instaurat, fœdus solen-  
 nibus adhibitis ceremoniis renouat, hac etiam addi-  
 ta iuris iurandi formula, Ut quicunque Deum Israe-  
 lis nō inuocasset, interficeretur, nulla aut ætatis aut  
 sexus habita ratione. Sūt autem ista tam laudabilia,  
 si Spiritus sancti testimonio credamus, quām ex-  
 cranda, si Bellium audiamus. Sic enim Spiritus san-  
 » etus, Fecit Asa quod bonum & rectum erat coram  
 Domino. Et paulò post conceptum ius iurandum  
 » in eam quam dixi formulam, Iurauerant, inquit, &  
 » quæsierant Dominum toto corde, inuentusque est  
 » ab eis, & dedit eis Dominus pacem circum quaque.  
 Quid autem Bellius in bella sua præfatione? Quis, in-  
 quirit, non putet Christum aliquem esse Molochum, aut eius generis  
 aliquem Deum, si sibi uiuos homines immolari comburi que uelit?  
 Quæ Bellii blasphemia si vera est, quid obstat quo-  
 minus Heliā pro homicida & sacrilego habeamus,  
 qui Deum humana cæde, Molochi instar, putaue-  
 rit delectari: & te quoque Iehu qui idē feceris & cen-  
 fueris: te verò Iosia sanctissime Rex, nihil causæ est  
 cur non ut immanē & crudelem accusemus, qui in  
 ipsa mortuorum ossa sœuieris, maestatis super alta-  
 ria Excelorum sacerdotibus, & humanis etiam of-  
 fibus crematis. Sed absint à nobis istæ blasphemæ  
 & profanæ cogitationes. Nam & istorum factum  
 cum Spiritu sancto prædicamus, & Iosaphat lauda-  
 mus, dignā sancto patre progeniem, quod Excelsis  
 sublati, & Lucis excisis doctores constituerit, à qui-  
 bus per singulas ciuitates populus in Lege Domini  
 eruditetur, & iudicia Ecclesiastica sapiētissimè di-  
 stribuerit. Sed & Matthanis sacerdotis cædem à po-

1. Reg. 18. g. 40.

2. Reg. 10. f. 25.  
& 23. e. 20.

2. Paral. 17. b. 7.

2. Reg. n. d. 18.

pulo factam approbamus : & Ezechiæ singularem 2. Reg. 18. 2. 3.  
 in instaurando Dei cultu diligentiam, magnificè,  
 sicut par est, extollimus. Ex his autē omnibus optimorum Regum exéplis satis liquet, ni fallor, quod iubet Dominus, ut Legis librum peculiarē Reges Deut. 17. d. 18.  
 à Leuitis accipient: & quod postea generalius ab omnibus Regibus & Principibus flagitat Dauid: nē pe ut Domino seruant, & Filium osculentur: sic accipiendum esse, ut his verbis iubeantur Principes sua potestate in eum præcipuè finē vti, cuius causa eam à Deo acceperunt, id est religioni studere aduersus omnes siue domesticos siue externos hostes conservandæ & amplificandæ, vel cum totius Reipublicæ (si aliter fieri nō potest) perturbatione, & cum priuatorum ciuium fuga, dum illa salua sit: tantum abest ut pax illa ciuilis sit tāquam vltimus & præcipuus finis Christiano magistratui propositus, quum eos oporteat, ut ait Esaias, Ecclesiæ nutritios & alumnos esse. Præterea quum hoc ab omnibus requiratur ut Deum ore confiteantur, id est omnibus externis actionibus declarent se veræ doctrinæ assentiri, cōtrariam autem doctrinam detestentur, & pro viribus impediant, cōsequitur Principes ad eam confessionem non ut priuatos homines, sed ut Principes teneri. Itaq; Magistratus qui ministerio quod à Deo accepit ad Ecclesiam Dei conseruandam fungitur, verè dici debet Deum ore confiteri: sin verò aliter faciat, quomodo tandem horrēdam illam Christi sententiā effugiet: Qui negabit me coram hominibus (inquit Christus) negabo & eum coram Patre cœlesti. Quisquis verò, quū Dei gloriam

Esa. 49. g. 23.Matth. 10. d. 33.

promouere possit , securè quiescit , perinde acsi ea  
 res nihil ad se pertineret , is multo profectò impudē  
 tius Deum negat quām qui mortis metu per simula  
 tionē religioni renuntiat . Quamobrē Princeps qui  
 potestatis suæ præsidio fretus petulantem hæreticū  
 coercere potest , neque id facit , quomodo tādem cri-  
 men effugiet proditæ diabolo Reipublicæ : aut quā  
 causam afferet cur offendiculorum Ecclesiæ nō sit  
 particeps : Itaque sæpe factum fuisse videmus , vt ces-  
 santibus Principibus , egregios quosdā Heroas Do-  
 minus suo Spiritu excitarit , qui officio Principum  
 in oppugnādis hæreticis & restituēda vera religio-  
 ne extra ordinem fungerentur , sicut in Phinees , Io-  
 iadæ , Heliæ , Matathiæ historia legimus : quorum fa-  
 ctæ in exemplum quidem trahi temerè non debet .  
 Sed tamē , quum aperto Dei testimonio cōmenden-  
 tur , dignissima sunt quæ ii sibi ad imitandum pro-  
 ponant in quibus Dominus eam potestatem ordi-  
 nariam & perpetuam esse voluit , quæ in illis ex-  
 traordinaria & temporaria fuit . Postremo quum  
 leges capitales plurimæ aduersus manifestos &  
 conuictos primæ Tabulæ contemptores prescri-  
 ptæ sint , Ecclesiasticum autem ministerium Gla-  
 dii potestatem non habeat , supereft ut vel eas leges  
 frustrà Dominus condiderit ( quod sine ipsius lu-  
 dibrio dici non potest ) vel Ciuali potestati earum  
 executionem mandarit . Hoc autem ita esse nou mo-  
 dò ex sanctorum Regum exemplis liquet , quæ pau-  
 lo antè commemoauimus , sed etiam ex primo  
 eius libri tractatu quem Hebræi Masseceth Sen-  
 hedrin vocant , sicut Vvolphgangus ille Capito fe-

licissimæ memoriæ vir docuit. Illic enim scribitur de crimine defectionis à Deo magnum Senatum LXXI iudicū, in quo Rex ipse præterat multo cum apparatu, cognouisse: cuius fortasse iudicij exemplum aut certè non multum dissimilis apud Ieremiam habemus. Fuit igitur ciuilis Magistratus primæ quoque Tabulæ, quod ad externam disciplinam attinet, custos adhibitus. Quamobrem aut doceant aduersarii, Christi aduentu de Ciuali iurisditione aliquid detractum, aut Principum idem nūc esse quod olim fuit officium fateantur. Neque verò nunc differo an illis Israclitarum legibus Christiani Principes teneātur: sed hoc potius quæro, an Ciuilis potestatis terminos Christus mutarit aut amouerit. Nam omnino, nisi vehementer fallor, vel hoc à Christo factum esse firmis argumētis probandum est, quod fieri non posse puto: vel confiteri necesse est sicut olim ex Lege politica Mosis, sic hodie saltem ex ciuibus legibus ciuali Magistratui impositum esse munus conseruandæ, quod ad externā disciplinam attinet, Christianæ religionis. Id autē sine vlla Orthodoxorū cōtrouersia, non minus in nostra Ecclesia Christiana quām in vetere illa Israelicā & creditum & usurpatum esse, quoties scilicet Christianos Principes habuit, ex historia Ecclesiastica cognosci potest. Legātū enim Eusebi⁹, Theodoritus, Nicephorus: legantur Epistolæ quas Synodales vocant: legātū Conciliorum acta, ac præser-tim Carthaginiēsis illius, in quo ambitiosa illa Romani Antichristi fraus patefacta est: legantur quæcūque Augustinus aduersus Donatistas & Circun-

n.iii.

celliones differuit, & comperiemus omnes vniuersales Synodos, Cæsarum Christianorum authoritate vocatas, habitas, confirmatas: hæreticos post Episcoporum anathema, Cæsarum sententia damnatos, pulsos, & aliquoties restitutos: leges de Episcopis & clericis ab iis perlatis, edita de fide Catholica in hæreticos perscripta: omnia denique facta quæ ad externæ Ecclesiasticæ disciplinæ conseruationem pertinent: idque non modò approbatibus, sed etiam voce & scripto omnibus orthodoxis Episcopis uno consensu flagitantibus. Tandem verò turbulentæ illæ tempestates acciderūt, quibus quū Romanum imperium iactaretur, Episcopi Romani in aqua turbida, quod aiunt, piscati, paulatim tyrannide sua constituta, hucusque sunt progressi ut ipsos sibi Imperatores ac Reges subiecerint, sicut iam olim Iohannes futurum prædixerat. Horrendum profecto Dei iudicium. Sed ut mihi quidem videntur, peius quiddam hoc est Papistica ipsa tyrannide quod isti Academicci in Ecclesiâ Dei, sub moderationis & clemètiæ specie, inuehere conatur, tanto scilicet peius quanto minus malum est Tyrânis quām *ἀναρχία*, & quanto præstat Tyrannum etiam crudelissimum, quām nullum penitus Principem habere: aut eum certè habere, sicut agebat ille, sub quo omnia cuiuis liceat. Esto igitur huius argumēti hæc conclusio: Eos qui Magistratū Christianū arcent à religionis cura, atque in primis ab hæreticorū coercione, manifestum Dei verbum contemnere, & omnium seculorum autoritatē spernere: itaque extremam Ecclesiæ *πανολεθρία* meditari,

Tertium argumentum: Ab externarum gétium  
perpetua consuetudine.

Cæterū ex hac Donatistarum olim , nunc au-  
tem Bellianæ factionis opinione , quāta nascantur  
incommoda omnes etiam populi viderunt quibus  
verbi Dei fax non præluxit : vt Christianos omnes  
Principes magnæ infamiae subiici oporteat, si mi-  
nus recte quām illi quæ sint sui muneris partes in-  
tellexisse videantur . Nam certè nulli ex veteribus  
Principibus aut Legislatorib⁹ in tatis tenebris ver-  
fati sunt, vt quanuis sine Deo essent, sicut Paulus lo-  
quitur , tamen nullas Principis partes in religione  
constituenda esse iudicarint, sicut vel ex vnius Nu-  
mæ exéplo intelligi potest . Sicut autem in eo sunt  
magnopere reprehendendi quòd ipsas religionis  
Leges códere voluerint, quod proprium vnius Dei  
munus esse ostendimus, sic in eo magnam profectò  
laudem merentur , quòd religionis curam à se non  
putarint alienam . Sed in istis externorum Principi-  
pum exemplis quædam reperiuntur Sacris lite-  
ris comprehensa, quæ peculiari laude & animaduer-  
sione digna sunt : veluti Nabuchodonosoris , Da-  
rii, Cyri, Darii Hystaspis, Artaxerxis sanctissima e-  
dicta, idcirco nimirum Sacris literis à Spiritu san-  
cto consignata , vt externorum saltem Principum  
exemplo Christiani Principes ad officiū suum fa-  
ciendum stimulentur . Nam, obsecro , Christianus  
Princeps quomodo tādem iudicium Dei effugiat,  
qui ad impiam maiestatis Dei violationem conni-  
uebit, quam Principes alioquin profani tanto zelo  
vindicarunt ? quo tandem iure Christianus Magi-  
n. .iv.

Ephes. 2. c. 12.

Daniel 3.  
Esd. 1, & 6, & 7.

stratus blasphemos & factiosos fouebit, quos Baby-  
lonius Rex acerbissimis poenis multauit: Princeps  
denique Christianus qua fronte exercebit læsa ma-  
iestatis iudicia, si puram religionem contaminari,  
verbum Dei contumeliis affici, ministros Verbi à  
perditissimis nebulonibus per simulationem cle-  
mentiæ & modestiæ exagitari sinat? Nam hæ ve-  
stræ sunt artes, nimirum ut (quod aiebat ille de Phi-  
lippo Græciæ imperium affectante) pastoribus in-  
terceptis impunè possitis gregem Domini popu-  
lari. Sed fidelis Dominus Ecclesiam suam custo-  
dierit, & fideles eius Pastores ex vestris faucibus ere-  
ptos certè conseruabit.

Postremum argumentum à recentiorum Ec-  
clesiæ Doctorum consensu.

Cæterū vt totā Ecclesiasticā historiā omittā,  
vt de veterū Regū, Principum, Episcoporum exé-  
plis nihil dicam, vt Titulos de fide Catholica, de  
Episcopis & clericis, Nouellas, Conciliorum cano-  
nas, & in primis Carthaginiēsis illius canonas 54,  
68, 95, Augustini denique tot libellos aduersus Do-  
natistas de hac controuersia cōscriptos prætermitt-  
tam, age, quæ sit eorum opinio videamus per quos  
Domino visum est Euangeliī sui lucem penè inter  
homines extinctam nostris temporibus accendere.  
Neque verò omnes institui commemorare, (esset e-  
nim hoc laboris penè infiniti) sed præcipuos tātūm  
scriptores mihi cognitos recensebo, atque in iis etiā  
nonnullos, quorum nomine & auctoritate vos abu-  
ti non puduit, vt simpliciorum oculos inani quodā  
nominis illorum fulgore perstringeretis.

Sic igitur Lutherus in Postillis minoribus, quas  
vocant, Dominica ab Epiphania quinta, zizaniorū  
parabolam explicans: Custodit, inquit, Magistratus  
non solum secundam, verūm omniū maximè pri-  
mam Tabulam. Idololatrias, blasphemias, execra-  
tiones, periuria vlciscitur. Oblatos hæreticos, vt in  
verum numen contumeliosos, atque alios eas bla-  
phemias docentes coercet. Præfractiores atque in  
errore pertexendo contumaciores, vt cum certissi-  
mo plurium exitio, pro maleficiis puniendos susci-  
pit. Neque quum hoc facit, zizania euellere intelli-  
gitur: quia cum suo officio in eo regno nō versatur  
vbi de euellendis zizaniis interdictum positum est.  
Et paulo pòst, Non igitur, inquit, Magistratus & hu-  
ius generis vitæ corporalis officiales, quum scanda-  
lis perturbantibus tranquillitatem, seuera vindica-  
tione obuiam eunt, zizania contra Christi manda-  
tum euellunt: sed id præstant pro parte sua, vt ve-  
rum triticum in Ecclesia à zizaniis non prorsus  
opprimatur, & regnum Dei in terris non penitus  
exolescat.

De Melanchthonē verò quid dicam, homine il-  
lo eruditissimo, qui præterquam quòd infinitis lo-  
cis idem ac Lutherus affirmat, peculiarem etiam li-  
brum de officio Principis conscripsit, vt vestram  
opinionem refutaret? Idem quoque fecisse Vrba-  
num illum Regium audio diligentissimum homi-  
nem, Luneburgensis Ecclesiæ nomine: cuius tamen  
libellus, quum hæc scriberem, ad manum non erat.  
Sed in genere ita se arbitrari testatæ sunt his ver-  
bis Saxonice Ecclesiæ, in ea confessione quam Tri-

Martinus Lu-  
therus Christia-  
ne religionis  
instaurator.

Phil. Melan-  
chthon.

Vrbanus Re-  
gius.

Saxonice Ec-  
clesia.

dentino illi conciliabulo haud ita pridem obtulerunt. Vult Deus Magistratum voce primùm proponi summas & immutables leges prohibētes cul tum idolorū, blasphemias, periuria. Et paulo pōst, Magistratus est custos Legis, scilicet primæ & secūdæ Tabulæ, quod ad disciplinam attinet. Item alibi, Quanquam multi in imperiis negligunt gloriam Dei, tamen hæc præcipua cura esse debebat, audire & amplecti veram doctrinam de Filio Dei, & Ecclesiæ fias fouere: sicut Psalm⁹ inquit, Et nūc Reges intel ligite. Item, Aperite portas, Principes, vestras. id est, Aperite imperia Euangeli⁹, & præbete hospitiū Filii Dei. Et Esaiæ 49, Et Reges erūt nutritores tui, & Reginæ: id est, Republicæ, sint nutrices Ecclesiæ, præbeat hospitia Ecclesiæ, & piis studiis. Ipsi quoque Reges & Principes sint membra Ecclesiæ, & doctrinā rectè intelligent. non adiuuēt eos qui falsam doctrinam stabiliūt, & iniustum sauitiam exercēt: videant ut iudicia in Ecclesia rectè exerceātur: sicut Constantinus, Theodosius, Arcadius, Marcianus, Carolus Magnus, & multi pii Reges curauerunt recte exerceri iudicia Ecclesiæ.

Bo Brétius. Brétius verò in libello de Republica piè administra stranda hæc scripsit, Ante omnia pii cordatique Principis officiū fuerit, ne hoc verbi Dei pabulo, efficacissimóque aflictarū conscientiarum per fidē antídoto populum sinat defraudari: neutiquam verò segni opera sinat ac iubeat hoc ipsum purē & syncreticè citra vllas traditionum humanarum virulentias, summāque diligentia populo promulgari. Nā quum sit verbum pacis ac iustitiae: & Principis vni

cum & præcipuum sit munus pacem Reipublicæ,    „  
 tranquillitatem, concordiam. ac iustitiam plâtare    „  
 & euehere:qui melius,quæso,feliciùsque voti sui cō    „  
 pos fieri poterit, quâm si sinat dogmata Crucifixi    „  
 pura,verbū pacis purè ac liberè spargi:Quumque    „  
 etiam à Deo potestas sit omnis, potestati cuique    „  
 proinde decorum fuerit, hoc Domini sui verbum    „  
 omnibus neruis promouere. Quanuis enim præ-    „  
 stantius longè & excellentius iustitiæ ac pacis ge-    „  
 nus Euangeliō sit propositum, secum tamē vnà ex-    „  
 ternam quoque illam cum pacem tum iustitiam in    „  
 medium profert . Quotus enim quisque est qui ve-    „  
 rè per Christum pacem habeat apud Deum, quin    „  
 cum proximo suo pacē seruet ? Quicquid enim est    „  
 controuersiarum , tragœdiarum , & litium non a-    „  
 liunde exoriri par est credere,quâm quòd nulla dū    „  
 pax conscientiæ cum Deo sit parta, quam simulat-    „  
 que adeptus fueris, facile ipsa secum vnà ciuilem i-    „  
 stam adduxerit,Diuinæ illius ceu fructū . Quapro-    „  
 pter prudēti Magistratui maximopere huc erit in-    „  
 cumbendum,vt verbum istud pacis,& non seditio-    „  
 nis,summa qua fieri poterit diligētia annuntietur.    „

Suam verò sentētiam Bucerus suis Enarrationi  
 bus in caput Matth. 22, his verbis exposuit, Ex eo,  
 inquit, quod apud omnes reëtè sentiētes pridem &  
 modò habetur, neminem ad fidem aut religionem  
 compellēdum: quidam officium Magistratus in to-  
 tum à rebus fidei & religionis alienum faciunt, nec  
 quicquam illum circa eas vel statuere vel emenda-  
 re,aut etiam vindicare permittunt, addicentes illū  
 totum solis rebus seculi. Iſti verò parum piè de su-

M. Bucerus.

» blimi hoc Potestatis munere sentire videntur . Dii  
 » in Scriptura vocantur Principes & Magistratus.  
 » Quare & Deos quosdā præstare inter homines de-  
 » bent, eoque sic mala amoliri, & bona prouehere, vt  
 » quæ inter bona præcipua sunt, in primis promouē  
 » da & tuenda curent, quæque mala nocentiora, præci-  
 » puo studio auertant . Quum itaque religio non so-  
 » lūm bona alia vniuersa excellat, sed sine ea nihil iā  
 » sit humano generi bonum & salutare , certè conse-  
 » quens erit vt Magistratus primūm debeat religio-  
 » ni vindicandæ & conseruandæ curam impéndere,  
 » quandoquidem nihil queat populo accidere pestilē  
 » tius quām si haec illi violetur: nihil salubrius quām  
 » si sarta tecta persistat . Hinc in Lege Magistratibus  
 » persanētē præceptum fuit vt præter Cōsultores, Le-  
 » uitas & Sacerdotes, ipsi quoque Legē Dei studiosē  
 » legerent: nimirum vt sicut Deus ante omnia diligi-  
 » debet, ita in primis operam daret vt illius cultus re-  
 » Etē haberet. Hinc capitalia fecit non solūm adulte-  
 » ria, homicidia, & idgenus atrociora scelera, sed etiā  
 » si quis à cultu Dei docendo abduceret, si quis sibi-  
 » ipsi tantūm idola, aut aliam superstitionem statue-  
 » ret, si ariolos consuleret, si Deo conuitium diceret,  
 » & huiusmodi , quæ propriè ad curam attinent reli-  
 » gionis. Iam Deus non mutatur : quare in haec eadē  
 » hodie quoque Magistratum animaduertere decet.  
 » Nec enim minus apud priscos vera religio cordis  
 » fuit atque hodie, & æquè tū atque modò opus Spi-  
 » ritus sancti illa extitit. Nihilominus quū & doctri-  
 » na & ceremoniæ externa sint, & Potestas publica  
 » in hoc à Deo rebus humanis præfecta sit, vt illæ o-

ptimè, id est ex sententia eius habeant, ac ita ante o- »  
 mnia ipsius cultus vigeat: neque possit nocentius »  
 quicquam accidere impia doctrina, & supersticio. »  
 sis ceremoniis, etiā apud nos Magistratus officium »  
 erit cauere nequid in his palam peccetur: occulta »  
 Dei iudicio relinquere oportet. Idem paulo post, V- »  
 bi impii Magistratus regnant, orandus Deus est ut »  
 illos ad se conuertat, aut piis commutet, & tenere v- »  
 nicuique quod à Domino acceperit, donet: contra »  
 quod si illi præcipiant, dicere cum Petro oportet, »  
 Præstat obediare Deo quam hominibus. Nequaquam »  
 autē huc ire decet, quoniā multi sunt qui potestate »  
 sua abutūtur, & maximè in rebus Sacris, ut propte- »  
 rea curam religionis alienam à munere Magistra- »  
 tus faciamus, quam primam habere, quicunque Pote- »  
 state fungūtur, nō solum Diuinæ, sed simul omniū »  
 sapientum leges sanxerūt. Sed & Capito integrū Vvolph. Capi-  
 libellum conscripsit de iure Magistratus in religio- to.  
 nem, aduersus Iurisconsultum quendam Academicæ  
 profectò factionis, ex quo pauca quædam excerpti,  
 vt optimi & doctissimi viri sententiam paucis  
 verbis comprehensam liceat intueri. Tātopere, in-  
 quid ille, voluit Dominus ut verbū suum esset cu-  
 ræ Magistratui, vt ad ea quæ in cultum Dei verum  
 committuntur vindicanda, primam orbis Pote-  
 statem legibus & oraculis armaret. Sed noster con-  
 sultor, vt mundus assolet atque externa probitas,  
 nihil quam rerū harum tranquillitatem venatur.  
 In fures quidē ac latrones animaduertit: nam læ-  
 dūt publicū: contumeliosis autem in Diuinā ma-  
 ie statem, vt & doctrina & exemplū tam à Diui-

» no cultu quām à vita inter homines inculpatè tran-  
 » sigenda reliquos auertant : per eum fuerit impunè,  
 » quia carnis otium tales non turbant . Ea est ho-  
 » minis sententia . Quid igitur hoc loci pius Prin-  
 » ceps ? Profectò populum pro virili ad verbum  
 » Dei audiendum , & ad hoc vt vita & moribus illud  
 » exprimat,adiget seuera authoritate, hoc est animad-  
 » uersione legitima . Se enim Ministrum Dei esse  
 » perpendet,nō minus ac veteres Reges . Ex quo pax  
 » conscientiæ cum sibi tum populo excitatur , quam  
 » Christus noster vnum donat , quæ superat omnem  
 » sensum . Nam officii sui partibus , comprobante  
 » Deo , utrique sibi tum videbuntur satisfecisse . Ha-  
 » ctenus Capito .

Tandem verò vt nostrarum quoque, id est Hel-  
 ueticarum Ecclesiarū consensum ostendam , quid  
 fidelissimus ille Tigurinæ Ecclesiæ pastor Bullinge-  
 rus de tota hac cōtrouersia sentiat,nihil necesse est  
 vt hoc loco pluribus commemorem , quum ipse de  
 ea re tam copiosè ac luculenter scripserit Decadis  
 secundæ Sermone 7,& 8: & tu, Monforti, refutatio-  
 nem aduersus eum propriè institueris, de qua pau-  
 lo pōst differemus .

**Henricus Bul-**  
**lingerus.**

**Vvolphgangus**  
**Musculus.**

Musculus autem clarissimus ille vir & diligen-  
 tissimus Scripturarum interpres quantopere à vo-  
 bis Academicis dissentiat, cum aliis plurimis locis,  
 tum verò maxime suis in secundum Psalmum cō-  
 mentariis apertè declarat. Sic enim scribit, locum  
 illum explicans, **S E R V I T E D O M I N O I N T I-**  
 » **M O R E**. Notent hunc locum, inquit, etiam illi qui  
 » negat Regiam potestatem,ac secularem, vt vocat,

Magistratum habere quod in causa religionis agat. »  
 Admonet Spiritus sanctus Reges ac iudices terræ »  
 vt Domino seruant. Intelligit autem de seruitute »  
 quæ Filio Dei debetur. Respondeant h̄ic qua in re »  
 Principes Christo seruire debeant, si in religione ni »  
 hil prorsus est quod per eos administrari possit vel »  
 debeat. Regnum Christi in cordibus credentiū est, »  
 & spiritu cōstat. verū est. At quōd ad internos ani »  
 mi motus attinet, ne illorum quidem opera aliquid »  
 præstare potest, qui verbum Dei prædicant, nisi ac »  
 cedat Spiritus sancti afflatus. Quis autem interea »  
 sanæ mentis negabit prædicatione Verbi seruiri »  
 Domino: Quādo igitur Principes potestate sua hoc »  
 curant, vt Verbi doctrina retineatur in Ecclesia, ido »  
 lolatria & falsi cultus tollantur, Ministri Ecclesiæ »  
 commodè alantur, & aduersarii reprimantur, dein »  
 de vetant ne nomen Dei blasphemetur: & curant »  
 vt piè viuentes securè agant, impii verò & irrequie »  
 ti puniantur & cohibeantur, quomodo Christo »  
 non seruiunt?

Genevensis autem Ecclesiæ sentētiam minimè, Ecclesia Gen  
uenensis.  
 vt opinor, necesse est hoc loco repetere, quum eam  
 satis declaret, partim iustissimum illud supplicium  
 de Serueto sumptū, partim aureus ille liber, in quo  
 breuiter quidem, sed ita artificiose totum hoc argu  
 mentum à Caluino illo, Theologo (vt etiam inu  
 dia rumpatur Bellius) iudicii & fidei pleno, compre  
 hensum est: vt post eum libellū perfectum aliquos  
 inueniri potuisse mirer qui de hac quæstione cōtro  
 uersiam mouerent. Cedò igitur, Belli, vbi tandem,  
 non dico veterum, sed eorum ipsorum consensus

de quibus tu tibi tantopere places: Vbi vindiciæ illæ secundum libertatem: vbi tua ~~discrepancia~~ in præci suis religionis capitibus: vbi tua illa bona hæreticorum conscientia cum ignorantia coniuncta: Sed de his, opinor, plus satis.

Hæreticos interdum capitali etiam supplicio esse coërcendos.

Superegist ut vltimam quæstionis propositæ partem, id est hæreticos capitali etiam interdum poena coërcendos esse confirmemus. Hic autem quia non modò cum nostris Academicis, sed etiam cum piis alioquin & eruditis hominibus mihi negotium fore prospicio, estque non minus illorum singularis impudentia acriter (ut ego quidem existimo) retundenda, quam cum istis placide & amicè disputandum: idcirco ab his peto ut siquid à nobis acerbius dictum inuenient, id ita accipient quasi non in se, sed in illorum apertam improbitatē dictum. Cogit enim me Basiliī cuiusdam Monfortii effrænis audacia (quicunque tandem ille sit qui sub hoc nomine delitescit) diuersum ordinem tenere. Quia quum is refutationē scripserit eorum quæ (ut ipse loquitur) pro persequitione, re ipsa verò pro perditiſſimorum hominum iusta & legitima animaduersione dici solent, cogor & ipse scilicet hanc confirmationis nostræ partē ita instituere, ut ~~adūcatur~~ complectatur. Id autem sine vlla eorum offensione factum esse cupio, à quibus ego me profiteor neque in poena, neque in ferendo iudice, sed dūtaxat in pœna modo ita dissentire, ut si meliores ex verbo Dei rationes attulerint, libenter in eorum sententiam

sim cōcessurus . In primis autem ab iis peto vt hæ-  
 retici definitionem à nobis positam , & satis com-  
 modè, ni fallor, confirmatā, diligenter considerent:  
 vt scilicet meminerint neque infideles, neque hy-  
 pocritas, neque eos qui propriè Schismatici vocan-  
 tur , neque item eos qui simpliciter errant, à nobis  
 hæreticos vocari: sed eos demùm qui quum pietat-  
 is sumnum studium prætexant, tamen sanis Ec-  
 clesiæ sermonibus rite admoniti nō modò non ac-  
 quiescunt, verū etiā falsa proposita doctrina Eccle-  
 siæ pacem & consensionem lacerant . Deinde rogo  
 & obtestor (vt quod sæpe iam diximus , & iterū hīc  
 à nobis repetetur) sibi persuadeant neque Principes  
 hac nostra doctrina ad crudelitatem exercendam  
 incitari, neque Ciuilem potestatem à nobis cum Ec-  
 clesiastica functione confundi . Postremò memine-  
 rent ipsas etiā hæreses sic à nobis distingui, vt per-  
 sonarum & errorum magnum esse discrimē fatea-  
 mur . Et hæc quidem vel ob eam causam præfari vi-  
 sum est, vt quanta sit istius Iaruati Monfortii im-  
 pudentia omnes cognoscant . Is enim quum vnum  
 sibi ex omnibus oppugnandum delegisset Henri-  
 cum illum Bullingerum Ecclesiæ Tigurinæ fidelis-  
 simum pastorem, spectatæ probitatis hominem, &  
 ab omni suspicione crudelitatis tam alienū, vt ni-  
 hil suprà, non veritus est tamen ab iniquissimis &  
 apertissimis calumniis refutationem illam suam  
 auspicari . Quū enim Bullingerus secūdæ Decadis  
 Sermone octauo, causam hanc de qua disputamus,  
 his verbis exorsus esset, Cōtrouersum est adhuc ho-  
 die an liceat Magistratui suæ potestati subditos pu-  
 »

nire religionis vel contemptæ vel contumeliis affectæ gratia. Sic contrà Monfortius, sunt quidam, inquit, qui uolunt omnes hæreticas, hoc est ab ipsis dissentientes interfici, cuius cunque sint generis aut nationis, si modò fieri possit. Alij putant non inuadendos alienos, quemadmodum Israelitis non erat mandatum ut peregrinas gentes inuaderent, sed in sui corporis homines animaduerterent. Talis est lupi cautio qui leonē non inuadit, tutius est ouem. Hæc Monfortius. Dic verò, si potes impudentissime Sycophanta, in quem tādem ista conueniūt: an in eū cuius paulo pōst argumenta sigillatim refutasti? At is disertè de Magistratus in subditos suos imperio quererere se testatur: & hæreticos vocat, non eos qui aliter sentiant quām ipse faciat, sed eos qui religionem contemnant, vel contumeliis afficiant. An igitur in alium quempiam ex Saxoniciis aut Helueticis Ecclesiis? Tu verò, si potes vel vnum nominato qui vel omnes hæreticos censuerit interficiendos, vel ita sibi placuerit vt aliquos omnes diuersum sentientes pro hæreticis habuerit. Quòd si nullum eiusmodi potes nominare, nōnne tu verus es Diabolus, qui, repugnante conscientia, innocentissimos homines calumnieris? An verò in Papistas hæc scripta esse causaberis, quos tamen ita reformidas vt eos in toto tuo libello non ausus sis appellare? Atqui Papistarum non sunt ea arguenda quæ postea refellis, sed ex Bullingero ad verbum descripta. Deinde ne hoc quidem dicerent Papistæ, crudeles alioquin & imperiti. Neque enim adeò desipiunt vt infideles ex terreno Principi subiectos, nisi fortassis bellū vigeat, ab hæreticis non distinguant. Quid igitur: nempe, Monforti, hæc in illos scripta

sunt, quorum sedulitate & diligentia quum videres  
 sacrilega tua consilia impediri, illico furoris plenus  
 quicquid tibi in buccam venit, in eos euomuisti, ut  
 animo tuo morem gereres. Quod autem ad alienos  
 attinet, cui tandem persuaderi posse credidisti nos ab  
 iis ita abstinere ut lupos à leone, quod tutius sit o-  
 uem inuadere? Quasi verò Anabaptistas aut Serue-  
 tum (istos enim solos nobis potes obiicere) inter o-  
 ues numerare oporteat, ac non potius inter sanguinos  
 illos & immanes lupos qui gregi non parcunt: aut  
 in nos nulla possit istius metus suspicio cadere, qui  
 verbo & scriptis quotidie Papistas laceſſere nō de-  
 finamus, atq; adeò pro Christi religione ab iis ipsis  
 interfici nihil vereamur. Et te non pudet, Monfor-  
 ti, tam impudens mendacium usurpare? Sed audia-  
 mus etiam quo confilio ad hanc scribendam refu-  
 tationem bonus iste vir accesserit. Refutavi, inquit, ne  
 potui, in hoc scripto, argumenta eorum bono & religioso studio:  
 ut si fieri potest, aperiant oculos: ut si forte inscientes errant, er-  
 rare definant. Praefat enim serò resipiscere quād nunquam.  
 Demde ut alij eorum auctoritate non decipientur. Quid ait  
 Monforti: tu bono & religioso studio hanc refu-  
 tationem aggressus es? Cur igitur à manifestis ca-  
 lumniis illam es auspicatus? cur nomen tuum sub-  
 ticiuisti? cur non potius amicè & Christianè cum  
 iis colloquutus es quorum singularem pietatem, e-  
 ruditionem, modestiā re ipsa iampridem es exper-  
 tus? Evidem, inquit ille, libenter eos ipse adiuuissim, et cum eis  
 amicè & Christianè contulisset: sed quoniam ipsi ferro, flammis,  
 aqua disputant, nos nullo ferro armati (ferro enim nobis in hoc bel-  
 lo Christus interdixit) uerbo eminus, ut Ierobaalis filius Iotham,  
 rem geremus. Vbi verò huius inhumanitatis, vbi huius

crudelitatis vlla vestigia deprehendisti Sycophanta: quicum aut ferro , aut flammis, aut aquis est dissipatum: Cum Anabaptistis dices, & cum Serueto. Atqui mundus vniuersus mendacium istud redarguit. Te verò nimirùm aut Anabaptistam aut Seruictam esse oportet, qui nō nos quidem, sed Principes nostros ita miserè reformides vt ne verum quidem tuum nomen edere sis ausus . Nā alioquin quam tādem iusti metus occasionem habere potuisti: Sed vt istarum etiam hæresēn tibi sis conscius, si veritatis studio duceris, quod tibi periculū à nostrarum Ecclesiarum Ministris imminebat? Num illi cum quopiā aliis armis quàm verbo Dei solēt contendere: ecquem verò ad Magistratus detulerūt quòd amicē & Christianē cum eis contulisset, etiā si in pestilētissimo aliquo errore versaretur: ecquādo Principes ad vllam crudelitatem sunt hortati: ecquando in iudicium subsellia concenderunt vt Anabaptistam quempiam aut Seruetum damnarent: Vana igitur, futile , falsa ista sunt, & partim ad ambitionē vestram ac rabiem tegendam, partim ad inescandos simplices, stolidē tamē profectō & ineptē à te tuāque factione comparata . Sed ad rem veniamus.

Primum argumentum à criminis hæreseos grauitate.

Tres igitur argumētorum classes faciemus. Ac primo quidem loco ab eius criminis, de quo à nobis quæritur, qualitate ac natura ratiocinabimur. Constat enim, ni fallor, apud omnes, quum de supplicii modo quæritur, eam demum pœnam æquā-

videri quæ criminis magnitudini, quoad eius fieri  
 potest, respódeat. Nam alioquin etiam, fateor, quū  
 exempli causa crimina puniantur, debent iudices  
 magnam humanitatis rationē habere, & quid Rei-  
 publicæ intersit, diligenter considerare. Ex quo fa-  
 ctum est ut vnū idémque scelus alibi lenius, alibi a-  
 cerbius, atque adeò in eadē regione, modò mitiore,  
 modò seueriore pœna coercentur. Sed quædā sce-  
 lera sunt eiusmodi, vt quanuis non eodem suppli-  
 cii genere puniantur apud omnes, tamen iure quo-  
 dam communi, apud omnes quidem gentes non  
 prorsus efferatas, pro capitalibus habeantur: cuius-  
 modi sunt parricidia, homicidia voluntaria, sacrile-  
 gia, blasphemia, impietas, siue publicè receptæ reli-  
 gionis violatio, & siquæ præterea sunt eius gene-  
 ris. Ac de parricidiis quidem, & aliis homicidiis vo-  
 luntariis, & sacrilegiis satis constare puto. De bla-  
 sphemia verò & impietate miror à nonnullis dubi-  
 tari: nemo enim inficiari potest criminis magnitu-  
 dinem ex eius qualitate æstimandam qui offensus  
 dicatur. Quamobrem etiam parricidium à simpli-  
 ci homicidio distinguitur. Quod si verum est, illud  
 quoque consequitur, ni fallor, blasphemiam & im-  
 piatem, quibus scilicet Dei maiestas propriè lædi-  
 tur, tanto maiora esse sclera, quanto Dei gloria di-  
 gnitati hominū antecellit. Quia tamen ea est huma-  
 næ gentis cæcitas vt præcipua in re, id est in cultu  
 Dei, præcipue cæcutiat, idcirco non in omnes bla-  
 sphemos & impios pœna est apud homines consti-  
 tuta, sed in eos demùm qui scientes ac prudētes pec-  
 carint. Deinde verò quia de animo iudicare difficil

limum est, constituenda fuit perpetua quædam regula, ex qua intelligi posset quis sciens ac prudens pecasse videretur. Ea igitur iure quodam Gentium est eiusmodi, ut quia verisimile est omnes eam religionem tenere in qua sunt nati & educati, idcirco qui fecerit aut dixerit quippiam per quod illa conuelliatur, id videatur sciens ac prudens admisisse. Itaque quum Socratem Melitus accusaret απειας, his verbis actionem concepit, αδικη Σωρειτης ουτη τομης θεου επομιζων, περι δι δαιμονια καιρι εισηγημενος. Sed quia in constitueda religione infinitis modis necesse est homines hallucinari, idcirco quoad externas & profanas gentes attinet, haec regula profectò iniquissima fuit. Verum in Christianis Ecclesiis in quibus verbi Dei lampas accensa tenebras omnes discutit, nihil hac vna norma & regula iustius fieri posse credo. Christianas autem Ecclesias voce in quibus certæ illæ & peculiares notæ apparent, nimirum clara vox Dei personans, nullis humanis traditionibus obscurata: & pura ac legitima Sacramentorum administratio, quibus doctrina ipsa in animis piorum obsignatur. In his igitur Ecclesiis in quibus Pastoris vocem oues audiunt, æquissimum est hanc regulam valere, ut quisquis in iis ἐποδιδασκαλη, præsertim post repetitam Ecclesiæ admonitionem, sciens ac prudens in religionem peccare videatur. Nam alioquin si quis prorsus extra Ecclesiæ fuerit, extraneus scilicet & infidelis, quanuis coram Deo ipsius blasphemia & impietas non excusat, tamen Deo relinquendum est, qui eos qui foris sunt iudicabit, aut suo tempore donabit Spiritus sui lu-

ce. Quid si verò ex Ecclesiæ grege quispiam in errore versetur: nempe quum hic humano morbo laboret, mitioribus etiam remediis curandus est, ut conualefcat. Itaque in eum finem præter priuatas fidelium admonitiones, & mutua de pietate colloquia, etiam Ecclesiæ iudicia in eos constituta sunt qui paulò acrioribus remediis egent. Quòd si verò ad blasphemiam & impietatem hæresis accedat, id est contumax verbi Dei & Ecclesiasticæ disciplinæ contemptus, & vesanus quidam furor ad alios quoque corrumpendos inuaserit, quod tandem inter homines maius aut sceleratus crimen possit existere: adeò quidem ut si pro criminis magnitudine poenæ modus constituendus fuerit, nullum par supplicium huic sceleri inueniri posse videatur. Deinde verò si hominum incommodum in huius criminis ratione incūda consideres, hoc etiam affirmare posse videor, nullum hominum genus magis exitiale & pestiferum posse reperiri. Nam qui alium hominē interficit, qui violat alterius vxorē, qui fortunas alicuius intercipit, qui deniq; aliquod eiusmodi facinus admittit, Rempublicam italædit, ut tamen aliqua damni æstimatio iniri possit: qui verò in aliquo cœtu ad verum cultū Dei corrum pendum aditum patefacit, ille profecto incendium accendit quod infinitorum fortassis hominū semperno exitio vix tandem restinguetur. Nam veræ religionis depravationem omnino necesse est ut ira Numinis grauissima cōsequatur. Quamobrem siue gloriam Dei vindicandam, siue societatem humanaam conseruādam suscepit Magistratus, in nul-

los vsquam homines seuerius quàm in hæreticos  
blasphemos & impios debet animaduertere. Erat i-  
gitur Athenis iudicium ~~αὐτοῖς~~ ipsi etiam accusato-  
ri capitale nisi reum peregisset: & huius iudicij exé-  
plum in tres summos Philosophos editum esse le-  
gimus, Socratem illum scilicet, de quo paulo antè  
diximus: Theodorum, qui ~~αὐτοῖς~~ fuit cognominatus,  
sicut ex Amphicratis auctoritate Diogenes testa-  
tur: & Protagoran Abderiten, qui vt refert Cicero,  
quum in principio cuiusdam libri sic posuisset, De  
diis neque vt sint, neque vt nō sint habeo dicere: A-  
theniensium iussu vrbe atque agro est exterminat<sup>9</sup>,  
libríque eius in cōcione combusti. Itaque, vt dicam  
quod res est, mirari subit quod sit eorum iudicium  
qui in Republica Christiana leuorem esse poenam  
volūt veræ constupratæ religionis, & Ecclesiasticæ  
disciplinæ conculcatæ, quàm olim inter profanas  
gentes violatæ superstitionis fuerit. Iudicémne  
verò quempiam adeò ignauum, adeò sui officii o-  
blitū esse posse, vt quum homicidas, fures, falsarios,  
læsæ Principum maiestatis reos capitali suppli-  
cio puniat, in iis conseruandis clementiæ laudem  
captet, quos re ipsa cognouerit verbo Dei corru-  
pto, Ecclesiæ auctoritate spreta, Principum edictis  
per simulationē simplicitatis & modestiæ pertina-  
citer neglectis, à Deo re ipsa defecisse, & reliquos  
ad idem audendum sollicitare? Ridicula est autem  
Basilii exceptio qui hac eadem ratione puniendos  
esse existimat infideles, quum sit infidelitatis vi-  
tium maximum: item eos qui fratrem oderunt,  
quum sint homicidæ: & qui alterius vxorem con-

cupiuerint, quum sint adulteri. Neque enim, vt antè diximus, hæresis inter ea vitia numerāda est, quæ quum intus lateāt, Dei iudicio sunt relinquēda: sed inter ea potius crimina quibus externa tum in rebus ciuilibus propter iram Dei, tum in religione, concordia & tranquillitas violatur. A Magistratu verò nō vitia, sed crimina puniri solere satis cōmodè, ni fallor, est à nobis suo loco comprobatum.

Secundum argumentum: Ab auctoritate verbi Dei.

Sed qua pœna sit hoc scelus vindicandum quorum attinet, obsecro, humanis coniecturis probare, quū plana & aperta Dei testimonia in verbo ipsius legantur: Sic enim ait, *Qui sacrificat aliis diis præterquam Deo soli, moriatur. Alibi verò legem scribit qua nihil acrius, nihil seuerius in toto Dei fœde re legitur. Si surrexit, inquit, in medio tui propheta aut qui somniū vidisse se dicat, & prædixerit signū ac portentum, & euenerit quod loquutus est, & dixerit tibi, Eamus post deos alios (quos nō nosti) & seruiamus eis: propheta talis aut somniorum somniantor interfici debet, eo quod defectionem locutus sit à Domino Deo vestro, utque te depelleret à via quam tibi præscripsit Dominus vt in ea ambulares: & ideo exterminabis malum à medio tui. Si te clanculum sollicitauerit frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, aut filia tua, aut vxor gremii tui, aut proximus quem vt propriam vitam amas, dicendo, Eamus & seruiamus diis alienis, quos nec tu nosti, nec patres tui: ne acquiescas ei, neque audies*

Exod. 22. c. 20.

Deut. 13.

» eum, nec parcat ei oculus tuus, neque indulgas, ne  
 » que abscondas eum: sed omnino occidas eū, & ma-  
 » nus tua prima sit in eo vt occidatur talis, deinde  
 » manus totius populi . Obrue eum lapidibus donec  
 » moriatur: hoc enim molitus est vt depelleret te à  
 » Domino Deo tuo, qui te eduxit de terra AEgypti,  
 » de domo seruitutis . Hoc omnes Israelite audiat &  
 » timeant, ne vltra designent rem nefandam in me-  
 » dio tui. Si in aliqua vrbium tuarū, quas Dominus  
 » Deus tuus dat tibi vt in eis habites, audieris hanc fa-  
 » mam, Egressi sunt viri filii Belial è medio tui, & sol  
 » licitarunt ciues vrbis suæ hisce verbis, Eamus & ser-  
 » uiamus diis aliis quos non nosti: Inquiras, inuesti-  
 » ges & interroges diligenter: & si verū est & certum  
 » verbum illud, quòd istiusmodi abominatio facta  
 » sit in medio tui, Omnino feries inhabitatores ciui-  
 » tatis illius gladio, & vastabis eam gladio, & quic-  
 » quid in ea est, etiam iumenta eius. Vniuersa autem  
 » spolia eius comportabis in medium fori eius & suc-  
 » cendes vrbem igne, & in vniuersum omnia spolia  
 » eius Domino Deo tuo, vt sit perpetuò aceruu, nec  
 » reædificetur amplius. Nec hærebit quicquā in ma-  
 » nu tua de illo anathemate, vt reuertatur Dominus  
 » à furore iræ suæ, & intimo affectu erga te commo-  
 » ueatur, misereatúrque tui, & multipliet te, quem-  
 » admodū iurauit patribus tuis. Et rursus in eodem  
 » libro, Quando, inquit, inuentus fuerit in medio tui,  
 » intra vnam portarū tuarum quas Dominus Deus  
 » tuus dat tibi, vir siue mulier qui fecerit quod malū  
 » est in oculis Domini Dei tui, vt transgrediatur foc-  
 » dus eius, iuerítque & coluerit deos alios, & adoraue-

rit eos, veluti Solem & Lunā, aut quēcunque exer-  
citū cælorum, de quo non præcepi: illūdque indica-  
tur tibi, & tu audieris, diligenter inquire: & enī si ve-  
rum & certum est factā esse istam abominationem  
in Israel, Educes virum eiusmodi aut mulierem ta-  
lem, qui perpetrarunt rem istam malam, ad portas  
tuas: educes, inquam, virū aut mulierem, & obrues  
eos lapidibus, & moriātur. In blasphemū autē hæc  
lex est perscripta: Quicūque maledixerit Deo suo,  
feret peccatum suum, & qui blasphemarit nomen  
Domini, morte multetur: omnino lapidibus ob-  
ruet eum vniuersus cōetus, siue indigena fuerit, siue  
incola, quum blasphemauerit nomen Domini, in-  
terficiatur. Sed & in eum qui Sabbathum violasset,  
ex hac lege animaduertebatur: Profanās Sabbathū  
morte multetur; quicunque opus fecerit in eo, ex-  
cindetur anima illa ē populo suo.

Leu. 24.c.15

Exod. 21.c.14  
Num. 15.c.30

Quum igitur leges istæ, Monforti, à Deo Opti-  
mo Maximo sint positæ, necesse est vt vel inuitus  
fatearis nullas de his rebus æquiores aut meliores  
constitui posse. Sed tamen operæ pretium est cogno-  
scere quomodo tandem ex istis legibus ratiocine-  
mur: quod vt commodius possit explicari, rem o-  
mnem paulò altius repetemus, quando tu hanc no-  
bis necessitatē imponis. Agnoscimus enim (quod  
tu malitiosē dissimulas) politicas esse istas leges, &  
vni tantū Iudæorum genti perscriptas. Neque su-  
mus tam imperiti vt politiam Mosaicam velimus  
reuocare, quasi peculiares de negotiis ciuilibus le-  
ges sancire cuique Magistratui in sua ditione nō li-  
ceat. Sed quum Legis per Mosen datæ tres sint par-

De Legis abro-  
gatione.

tes, vna scilicet quam Moralem siue Decalogū: altera quam Ceremonialem:tertia quam Iudicialem vocant, singulæ istæ partes peculiari consideratione indigent. Decalogus enim siue lex Moralis, quia est Naturalis legis accurata descriptio, & conscientiæ testimonium cum perpetua illa Dei voluntate consentiens, agnoscere nos oportet tantam esse huius Legis auctoritatē, vt certa esse debeat omnibus gentibus & cunctis ætatibus iustitiae & iniustitiae regula, neque prius interire possit quām natura ipsa extinguitur. De Ceremoniis verò aliter iudicandum est. Fuerunt enim illæ vni tantū genti ad certos usus & certum tempus accommodatæ. Suo igitur tempore Ceremoniarum umbræ, Christi tanquam Solis exortu depulsæ sunt: mansit tamē Dei cultus à Decalogo perscriptus, spiritualis nimirū, qualem semper Deus requisiuit: adeò vt quo etiam tempore Ceremoniæ vigebant, sæpe sit testatus per Prophetas sese illas abominari, propterea quod ad externum illum cultum populus ea non afferebat quæ præcipuè Deus requirebat, & quæ per Ceremonias ipsas adumbrabātur: cor scilicet cōtritum, fidem, spem, charitatem, in quibus verus Dei cultus consistit. Sed rursus de Iudicali, de qua nunc quæritur à nobis, aliter quām de Decalogo aut Ceremoniis constituēdum est. Eius enim discriminis ignoratio vel dissimulatio tibi, Mōforti, occasiō præbuit Iudicialem legē non aliter quām Ceremoniæ repudiandi: in quo grauissimè à te peccari nos, vt spero, ostēdemus. Hoc igitur dico, Iudicalē legem à Decalogo differre, quod Decalogus omnē iusti-

De Decalogo.

De Ceremoniis.

Iudicalis lex  
quatenus à De-  
calogo differat.

tiā & æquitatem in omni officiorum genere paucis  
 cōprehendit: Iudicialeś autē lex eam dūtaxat iusti-  
 tiae & æquitatis partē sigillatim explicat, quæ in iis  
 rebus versatur de quibus iudicia cōstituta sunt. Præ-  
 terea Decalogus quum sit legis Naturalis absolu-  
 tissima descriptio, & disertè in Euangeliō confir-  
 metur, omnibus in perpetuum est conscriptus: Le-  
 ges autem iudiciales ad vnius Reipublicæ rationē  
 fuerunt accommodatæ. Itaque quum nobis nun-  
 quam scriptæ fuerint, ne abrogatæ quidē dici pos-  
 sunt. Decalogus denique conscientiæ leges impo-  
 nit: Iudiciales autem, quanuis Magistratui non mo-  
 dò propter iram, sed etiam propter cōscientiam pa-  
 rendum sit, tamen conscientiā non simpliciter sed  
 xalē' respiciunt. Rursum Iudicialeś à Ceremoniali  
 differt, primū in eo quod ista extēnum religio-  
 nis cultum tradit, illa partim quidem in Diuini cul-  
 tus externa conseruatione, sicut ostēdunt leges pau-  
 lo antē à nobis descriptæ, partim verò in ciuilibus  
 huius vitæ negotiis versatur. Deinde (quod vere or-  
 ne à nonnullis non satis sit expensum) Ceremoniæ  
 non propriè vnius gentis, sed vnius temporis fue-  
 runt: Iudiciales autem contrà vnius gētis fuerunt,  
 sed non vnius temporis, maxima quidem ex parte.  
 Idque sic facilē, ni fallor, cognosci potest. Quisquis  
 erat veram religionem amplexus, etiam si Iudæus  
 non esset, neque in Iudæa habitaret, tamen ad Mosis  
 Ceremonias obligabatur, veluti ad Circuncisionē,  
 ad Sabbathā obseruanda, ad ciborum delectum &  
 cætera eiusmodi, quandiu quidem Ecclesia sub Le-  
 gis pædagogia fuit. Hoc autem elapsō tempore, &

Rom.13.8.5.

Iudicialeś & Ce-  
remoniæ le-  
gis differen-  
tia.

Iudæi & cæteri populi ex quibus constat Ecclesia, ab illarum Ceremoniarum iugo absoluti sunt per Christum, adeò ut (contrà quām Papistæ opinantur) neque illas reuocare, neque alias in earum locū substituere hominibus liceat. Nam si quæ Ceremoniæ ordinis causa constituuntur ex Ecclesiæ cōsenſu, ab illis quæ conscientiam obligabant, & in quibus ad tempus cultus Dei consistebat, distinguēdæ sunt. Contrà verò Iudicialibus legibus soli Israelitæ tenebantur, id est qui in Iudæa habitabant: quia scilicet huic vni Reipublicæ erant accommodatæ. Quòd si adhuc hodie consisteret illa Respublica (exceptis quibusdam quæ ad Ceremoniarum viatrum vindicationem pertinebant, quas nunc abolitas esse diximus) iisdem adhuc legibus vteretur, quum alioquin Euangeliū nihil in ipsis immutari, aut de ipsis detraxerit. Quid igitur: dicet aliquis, quum hīc agamus de pœnæ modo quo sunt hæretici à ciuili Magistratu puniendi, quorsum nobis Politicas leges Mosis proponis? Ego verò respondeo, quanuis politiæ Mosaicæ formulis non teneamur, tamen quum Iudiciales istæ leges iudiciorum æquitatem præscribant, quæ pars est Decalogi, nos, vt illis nō obligemur quatenus à Mose vni populo prescriptæ sunt, eatenus tamen ad eas obseruādas teneri, quatenus generalem illam æquitatem complectūtur, quæ vbique valere debet. Videtur enim hac ratione non à Mose vni Israelitarum populo, sed à Natura vniuersæ hominum nationi positæ. quod vt facilius intelligi possit, exemplum afferemus. Iubet Dominus depositum reddi, & furem puniri.

Hæc vtraque lex politica est, & haec tenus solos Israëlitas obligat. Quia tamē naturalem æquitatem sequitur, & perpetuum illud Decalogi præceptum NE F V R E R I S explicat: haec tenus omnes ad vtrāque illam præstandam tenentur. Fur interdum ad furti restitutionem, interdum in duplum, nonnunquam in quadruplum aut etiam in quintuplum dā natur, aut deditur noxæ. Hæc poena merè est politica, & vnam Israelitarum gētem obligat, quibus scilicet vnis est accommodata. Licet igitur Magistrati in sua ditione ob certas & bonas causas asperiorēm poenam in fures sancire. Lex enim illa Mosis quatenus poenæ modum præscribit, aliis gentibus neque vñquam fuit posita, neque nunc est propriè abrogata. Sciendum est verò quāuis istæ Legū particulares formulæ nunquam ad nos pertinuerint, tamē quim earum author sit Deus ipse iustissimus & æquissimus Legislator, rectissimè facere Magistratus, qui, quoties pecularis aliqua circumstantia vel temporis, vel loci, vel personarum non impedierit, ad Mosaicarum legum perfectissimum exemplar in condendis suis legibus respiciunt. Ita enim fit vt Mosis iugum nobis non imponatur, & tamen iudicia summa cum moderatione exerceantur. Et sanè si quis Græcorum nonnullas, Romanorum autem plerasque leges cum Mosaicis comparat, tā tam inter eas etiam in poenis constituendis similitudinem inueniet, vt omnes satis appareat ad eūdem naturalis æquitatis scopum fuisse accommodatas.

Itaque, vt tandem hæc omnia ad institutum nostrū referamus, quòd istas Politicas Mosis leges, in

veræ religionis cōtemptores perscriptas, Christia-  
 nis Principibus proponimus, hoc non facimus  
 vt Christianis Politia Mosis obtrudatur, sed vt  
 eius æquitatem in constituentibus de eadem religio-  
 ne iudiciis, quoad eius fieri potest, tanquam opti-  
 mum exemplar sequantur. Suntergo in his legi-  
 bus peculiaria quædam quæ ad nos non pertinent.  
 Primùm quòd à Mose nō à nostro Magistratu, Is-  
 raelitis non nobis perscriptæ sint. Deinde quòd di-  
 fertè de corporeis sacrificiis, de Sabbatho, & aliis ce-  
 remoniis agunt, quas Christus adueniens sustulit.  
 Tertiò quòd in Prophetas & Somniorū coniecto-  
 res latæ sint, quæ dona in Ecclesia Dei nunc nō ex-  
 tant. Denique in ipso pœnæ genere cōstituendo pe-  
 culiaris aliqua huius gētis ratio habita videtur. Sed  
 particularibus istis sublatis, duo ex istis legibus col-  
 ligo, quæ certè non puto idoneis rationibus refelli  
 posse. Primùm enim quū defec̄tio à religione quæ  
 verbo Dei est cōstituta, & sollicitatio ad defec̄tionē  
 quā Paulus ἐποδιδοκανει vocat, his legibus à Deo  
 per ciuilem Magistratum puniātur, nunc quoque  
 eadem scelera ab eodem Magistratu in sua ditione  
 ex hac Lege punienda esse cōfirmo. Haetenus enim  
 Lex ista Decalogū respicit, & perpetua illa ac vni-  
 uersali naturæ æquitate nititur. Itaque quicunque  
 crudeles eos vocat qui hæc iudicia exercent, quicun-  
 que Magistratum tanquā profanū ab his iudiciis re-  
 mouent, quicunque tam confidenter afferunt nullū  
 hominum genus Reipublicæ minus esse metuen-  
 dū quam hæreticos: illos ego dicere audeo in Deū  
 & in suæ conscientiæ testimonium peccare, nisi for-

tassis ex eorū sunt numero quibus cōscientia quodam quasi cauterio resecta est. Deinde quum nulla idonea ratio afferri possit cur Dei maiestas & Ecclesiæ auctoritas minoris apud nos ponderis esse debet quām olim apud Iudæos fuerit: imò verò Christiani, si verā religionē aspernētur, aut minore studio tueātur quām olim Iudæi, eo min⁹ excusari posint, quo clarius sese Dominus per Filiū suū quām per Prophetas patefecit: hoc ego affirmare non dubito, eos demùm Principes officiū facere, qui si non in ipso poenæ genere, at certè in ipso poenæ modo constituendo illas Dei leges sibi ad imitandū proponunt, cuius scilicet exemplo & ipsi capitalem aliquam poenam pro blasphemiarē & criminis atrocitate in factiosos apostatas sanciant. Tanti enim esse debet apud omnes sempiternis seculorū æstatibus Dei maiestas, ut quisquis eam habet ludibrio, ille quia ipsum vitæ auctorem habet ludibrio, dignissimus sit cui vita per vim eripiatur. Hæc ego dico, Monforti, hæc ego vociferor, veritate Dei & conscientiæ testimonio frctus. Tu contrà, si libet, ad rauim vsque clamita nos fæuos, crudeles, immanes, sanguinarios esse. Vincet tamen veritas, & eos demùm istis cognométi dignos esse ostendet qui præpostero vel simulato clementiæ studio ouium potius vita patiuntur lupos saginari, quām in vindicanda Dei maiestate officium faciant. Et hæc quidem fortassis sufficere poterat. Ne quid tamen à me cōqueri possis prætermissum, reliquas tuas, ineptias dicam an blasphemias: sigillatim cōstitui refutare.

Sic igitur primū omnium respōdes, si corpora-  
p.i.

Refutatio argumentorum Mōfortii aduersus Legem in Exodus scriptam.

lem (inquis) immolationem intelligunt in Exodi lege designatam, oportet ut fateantur nullum ex hac Lege puniēdū: nemo enim alieno Deo sacrificat corporaliter, ne Turcæ quidem: non Ioui, nō Mercurio, non Soli aut Lunæ, sed Deo Mosis. Sin autem de spirituali, (quemadmodum loquitur Paulus de hostia rationali,) primi sunt occidendi qui Deo suo Maozin id est uolētiæ et crudelitati sacrificant: et anari, et gulosi, quorum uera est idolatria. Nisi testa menti, cuius nihil nisi umbra et figura fuit illa quæ scribitur in Vetere: ex quo consequitur etiam pœnam illam ueteris fuisse figurā non temporalis sed æternæ. Hæc tu, Monforti, penè totidem verbis scripsisti. Ego verò etsi iam pridem videor his omnibus calumniis ansam omnem præcidiisse, quum ostenderem quanta cum impietate verum illum Deum Mosis cum Turcarum & Iudeorum Idolis confunderetis, tamen iterum paucis responderebo ut imperitiam tuam magis patefaciam. Certè nemo nostrum tam est imperitus ut vetera illa sacrificia in usum reuocet. Sed in eo se prodit manifestus tuus stupor, quod in verbo ipso Sacrificandi hærens, non considerasti constituendæ huius legis rationem latius patere quam ut ad hanc unam speciem restringi possit aut debeat. Comprehendit enim potius publicum cultus Dei contemptum, qui quidem cultus vniuersus Sacrificii vocabulo οὐεκδοχῆς intelligitur: sicut Helias quoniam significaret totum Dei foedus ab Israele violatum, Euerterunt, inquit, aras tuas, & Prophetas tuos occiderunt: & Esaias quoniam prædiceret fore ut AEgyptus veram religionem amplectetur, Iurabit AEgyptus, inquit, per nomine Dei viuentis. Neque hic valet Iurisconsultorum regula, quæ docet in rebus odiosis, quas vocant, leges non esse ampliandas. Nullus enim est coniecturæ

*1. Reg. 19. b. 10.*

*Esa. 19. c. 18.*

locus ubi ius expressum habemus. Debueras autem  
 hanc legem cum capite Deuteronomii 13, compa-  
 rare, ut eius velut commentarium haberet. Ex hoc  
 enim loco cognoscere potueras capitali suppicio  
 in eos animaduerti qui quum ipsis à Domino defe-  
 cerint, alios ad defectionem sollicitant. Sunt autem  
 huius defectionis varia testimonia publica, quorū  
 et si præcipua tantum, & quæ *ως ἐπὶ τὸ πλεῖστον* accidūt,  
 in legibus commemorantur, ratio tamen ipsa le-  
 gis vniuersali formula concepta est: itaque in gene-  
 re valere debet aduersus eos qui à vera religione de-  
 ficiunt, & alios ad defectionem sollicitat, quos gene-  
 rali vocabulo nunc vocamus Hæreticos, non pseu-  
 doprophetas, aut somniorum coniectores, aut alie-  
 nis diis sacrificantes: propterea quod externæ illæ  
 ceremoniæ, & dona illa Prophetiæ cessarunt. Ve-  
 rūm ut hæc cessarint, neque tamen defectio, ne-  
 que eius poena desiit. Quād autem sit ridiculum  
 quod tu colligis, nimirum si spiritualis hæc idolola-  
 tria significetur, crudeles etiam & auaros & gulofos  
 à ciuili Magistratu puniendos: alibi est à nobis ita,  
 ut spero, probatum, ut longiore refutatione nō in-  
 digeat. Superest mirifica illa tua allegoria idolo-  
 latriæ veteris, & poenæ in eam constitutæ: de qua,  
 propterea quod tu tibi in ea magnopere places, id-  
 circò paulo copiosius mihi putauit esse differendum.  
 Ergo, si tibi creditur, idolatria Veteris testamen-  
 ti, id est corporalis immolatio, fuit idolatriæ No-  
 ui testamenti, id est spiritualis immolationis figu-  
 ra. Itaque poena illius, hoc est lapidatio, non fuit fi-  
 gura poenæ alicuius temporalis quam nunc debea-

mus usurpare: sed spiritualis, id est æternæ, cui scilicet debemus hæreticos relinquere, vel eius quæ gladio nō corporali, sed spirituali, & ancipiti, id est viuo Dei verbo infligitur. Id autem cōmentum plurimis locis à te repetitur, nominatim verò vbi hac exceptione uteris aduersus Legem in eos scriptam qui Sabbathum violarint: vbi sic scribis, Est, inquis, facta translatio peccati corporalis ad spirituale: ex quo consequitur debere quoque pœnam spiritualē esse non corporalem. Item quo loco respondes argumento à Leuitis sumpto, per quos Moses in idololatras capitaliter animaduertit, Ad quod, inquis, satis iam responsum est. Corporalem uitulum corporalis pœna secura est, spiritualē spiritialis sequitur. Ego vero, Monforti, spiritum illum fanaticum in te agnosco qui per Origenem quondam tam misericordi Ecclesiam Dei vexauit. Fuit enim hæc olim Satanæ insignis versutia, quam tamen nemo prorsus ex veteribus, quod eorum pace dixerim, satis animaduertit, ut, quum non posset Scripturam ex Ecclesia prorsus eiicere, vanis tamē allegoriis totam redderet inutilem & mythologicam, adeò ut ne unus quidem sit in Scripturis apex, qui non sit ipsis allegoriis contaminatus: quod etiamnum iterum Libertini & Anabaptistæ ingrediuntur. Sed hoc, quæsio, nobis ostende, ex quo tandem Scripturæ loco cōmentum istud de Iudicialium legum umbris & figuris didiceris. Nam in Ceremoniis, atq; adeò in quibusdam etiam historiis ex Scripturæ auctoritate hoc agnosco. Sed de Iudicalibus legibus aut corporali idololatria quæ spiritualem adumbravit, nihil usquam legere memini. Hoc quidem fateor,

supplicium quod de flagitioso aliquo sumitur, declarare quo sit animo iudex in id flagitiū affectus, & externam idolatriam interioris esse testimoniū. Sed ut hæc tibi concedam, quorsum hæc ad id de quo agimus? Deinde cur corporalem idolatriam Veteri, spiritualem Nouo testamēto tribuas non video, quū vtraque iam olim viguerit, & nunc etiam multo magis vigeat quàm velimus. Nam ut Papistarum imagines, & cibarium illum Deum tacem, quot vñquam fuerunt aut futura sunt externa vel interiora colēdi Dei genera, tot esse dico idola ab hominibus fabricata, totque vtriusque idolatriæ species: idque singulis fere paginis Hieronymus in Prophetarum commentariis inculcat. Iam verò de corporali pœna quæ spiritualem adūbrarit, ut non potueris *αὐτα δέ σε πονοῦντα* loqui, at certè *καὶ φίστης* aliquid dicere debueras. Enim uero si corporalis pœna à te dicitur, quæ corpori infligitur: spiritualē eam à te dici oportet, qua spiritus afficitur. In fligi autem spiritui pœna ab hominibus nō solet, sed ab eo qui vñus potest & animam & corpus perdere in gehenna. Potestas enim illa ligandi quam Ecclesiæ concessit, nō tam iudicium est, quàm eius iudicii declaratio quo se se iā antea obstrinxit quisquis iusto Ecclesiæ iudicio ligatur: & quum usurpet in interitum carnis ut saluus sit spiritus in die Domini, non video quī possit vel spiritualis pœna vocari, vel corporali pœnæ opponi. Sed alia est fortassis abstrusa istius allegoriæ ratio, nempe si spiritualem pœnam tūc usurpari dicas quum spirituali gladio, id est prædicatione Verbi, hostes nostros

Matth. 10. c. 28.

1. Cor. 5. b. 5.

id est peccata iugulamus, sicut monet Apostolus vt  
 nos ipsos λογιζόμενοί εἰς Deo nostro cōfescemus . Sed  
 dic quæso ἐπαντικύτην Monforti, vt tibi concedā ver-  
 bum Dei, gladiū Spiritus vocari: & iubere Aposto-  
 lum vt membra nostra terrena mortificemus : vbi  
 tamen legisti corporales illas poenas quæ corpori-  
 bus sceleratorum sub Vetere testamento inflige-  
 bantur, sacrificium illud spirituale quo carnē no-  
 stram vel in nobis, vel in aliis mortificamus, adum-  
 brassem: & ita quidem adumbrassem, vt, sicut de Cere-  
 moniis sic etiam de Ciuilibus legibus dicēdum sit,  
 eas veniente luce, id est Christi Euangeliō exorto, e-  
 uanuisse: Quasi verò sub Vetere testamento mor-  
 tificatio illa tantum adūbrata fuerit, ac non potius  
 re ipsa ab omnibus fidelibus séper vsurpata. Quòd  
 si vera ipsorum mortificatio fuit, quorū indige-  
 bant vmbra, præsente ipsa veritate: aut si nihilomi-  
 nus illi figura quapiam indigebat, cur illam tu no-  
 bis eripis? Veteres enim illas leges fictitiis vestris  
 allegoriis sic eluditis, vt propterea contendatis a-  
 liter esse inter Christianos quām olim inter Iudæos  
 hæresin puniendam . Deinde si pœna illa pseudo-  
 prophetarū temporaria tātum erat, cur ob eum fi-  
 né perlata lex dicitur qui perpetuò valere debet? Sic  
 enim scribitur in extrema lege , V T O M N E S I S-  
 R A E L I T A E A V D I A N T E T T I M E A N T , E T N E-  
 D E I N C E P S R E M A D E O N E F A N D A M D E S I-  
 G N E N T . Quid tu ad hæc, Mōforti: Nā his adhuc e-  
 xéplis egere populū Dei constat. Hæc igitur à Deo  
 cōstituta tollere, ánon sacrilegium est? Vides ergo  
 vel inuitus quocunq; tandem modo ficticias istas alle-

gorias v̄surpes, non posse nō falsissimas & inanissimas videri, etiā si tu illas omniū veterum auctoritate cōfirmares. Memini enim Augustinū alicubi allegoriā istam visibilis & inuisibilis gladii vno verbo attigisse. Sed eū quoque constat, (quod cum tāti viri pace dictum esse velim) in allegoriis persequendis plusculū seculo suo indulsisse. Iterū igitur hoc affirmo, vanū & futile esse istius allegoriæ cōmentum.

Libro de fide & operibus.

Sed age, ad alias tuas refutationes progrediamur, quas capiti illi 13, Deuteronomii opponis. Negas leges illas ualere, quia nemo nūc sit pseudopropheta ex Mosis definitio-  
ne, id est qui futurum aliquid prædicet, & doceat deos alienos colere. Ego verò primū omnium respódeo, sicut pau-  
lo antè feci, ex causa ferendæ legis, id est ex his ver-  
bis, Q V I A D E F E C T I O N E M L O Q V V T V S E S T  
A D O M I N O D E O V E S T R O: intelligendam esse  
Legislatoris mētem. Deinde dico verum esse quod  
tu negas, eos scilicet qui Sacras literas perperā in-  
terpretātur, à vero Dei cultu abducere, atque ita ad  
aliorum deorum cultum hortari. Necesse est enim  
ut doctrina omnis quæ de cultu Dei loquitur, si à  
Deo non est, à diabolo profiscatur. Itaque qui  
eam recipit, diabolum recipit: & qui recipiendam  
suadet, à Deo abducit. Nam etiam Paulus ciborum  
& matrimonii interdictum, doctrinas dæmoniorū  
vocat: quo meliorem auctorem quærere non debe-  
mus. Neque ad rem pertinet illud quod affers de iis  
qui foenum aut stipulam ædificat. Agitur enim il-  
lic de iis qui nihilominus super fundamentum æ-  
dificant: quod de hæreticis dicere nō potes, qui Chri-  
stum verbo quidem ponunt, re tollunt: sicut vos fa-  
citis, qui Christum quidem Filium Dei, mundi do-

Refutatio argu-  
mentorum Mō-  
fortii aduersus  
caput 13. Deut.

t. Tim. 4.2.1.

t. Cor. 3.4.12.

minum ac iudicem prædicatis, & vestram illam albam vestem præfertis, interim verò cognitionem Christi status & officii, Trinitatis, Iustificationis, Liberi arbitrii, & cæterarum eiusmodi rerum negatis ad religionem pertinere, & libris etiam editis post Ecclesiarum concordiam violatam, alios ad defensionem sollicitatis. In vos igitur & vestri similes qui vel manifesta improbitate, vel affectata ignorātia Ecclesiæ fundamenta conuelliatis, hic potius Esaïæ locus conuenit: Erit robur illorum tanquam stuppa, & qui fecit tanquam scintilla, & comburen tur ambo. Alter autem Pauli locus quem affers ut doceas illos qui Sacras literas perperam interpretātur, à Deo non abducere, neque illa Deuteronomij lege comprehēdi, magis etiam tuam inscitiam profidit. Testatur Paulus, inquis, Christum etiam pro eo mortuum qui uesti putat non licere. Dat enim ignorantiae ueniam Deus, Quæso verò Monforti, non te pudet istarum ineptiarum: Ecquis enim nostrum negat, Deum ignorantiae veniam dare quoties libuit? Quasi verò de personis hīc agamus, ac non potius de rebus ipsis. Deinde verò quæ hæc imperitia est, res medias ab iis quæ per se impiæ sunt, & infirmos ab hæreticis nō distinguere; illic certè Paulum de rebus mediis, & de iis qui fide infirmi sunt, differere, tota disputationis series ostēdit. Nam alioquin quū de iis quæ ritur quæ sine violatione Legis Dei committi non possunt, regulam tradit prorsus diuersam, iubēs ut probemus omnia, & quod bonum est teneamus: atque adeò ut ab omni specie mali abstineamus. Rursus sicut testatur Paulus sese omnibus factum esse

Esa.1.4.31.

Rom. 14.c.15.

1. Thes. 5. d. 21.

Cor 9.4.22.

omnia: de infirmis nimirum agens: ita etiam apparet per uicacibus & præfraðis quām parum indulserit. Idcirco enim Titum noluit circuncidere, & quosdam monet ut canes & concisionem caueant: quæ omnia quum tu permisceas, minimè miror te usque ad eò ineptè ex hoc loco ratiocinari, ut quod de rebus mediis dictum est, ad blasphemam & impianam hæreticorum doctrinam accommodes, quos scilicet iudicare, nedum vindicare, non liceat: quod ad infirmos spectat eosque non ἐθελοθριστέα sed Legis Mosaicæ elementis adhuc inhærentes, ad hæreticos detorqueas.

Superest duplex tua exceptio aduersus Legem in blasphemos scriptā. nam reliquias tuas calumnias alibi refutauimus. si haec lex ualeret, inquis, tollēdus esset totus mundus, qui Deum uerbis confitetur, factis et corde negat: neque id occultum est, sed apertissimum. Deinde ut suprà demonstratum est) nōdum perfectè scitur quinam sint uerè hæretici. Audi verò, si libet, quid ad ista respondeam. Quicunque per improbitatem in Deum blasphemant, seue rè sunt à Magistratu coercendi. Negligentes hīc esse plerosque fateor: sed ex eorum negligētia quod sit ipsorum officium colligere nec potes nec debes. Multo frequentiores esse inter nos blasphemias quām par sit, agnosco, & cum lachrymis hanc mundi peruersitatem detestor: totum tamen mūdum, ut tu vis, hoc scelere manifestò teneri nego. Tu, si potes, falsa haec esse ostende. Quod autem à te demōstratum esse dicis, Nondum perfectè sciri quinam sint verè hæretici: hanc demōstrationem quum in tota vestra farragine diu multūmque quæsierim,

Gal. 2.1.3. & 4.  
Philip. 3.2.2.

Refutatio aduersus legem in Levitico scriptam in blasphemos.

nusquam tamen inueni , sed multas potius blasphemias reperi in verbum Dei pro vestra ~~αιρετικη~~ im pudentissimè & sceleratissimè profusas : tanquam scilicet adeò sit obscurè & ænigmaticè scriptum, ut noua iudicis sententia sit expectanda, & interim dū lis inter Christum & diabolum pendet , dandæ sint vindiciæ secundum libertatem . Has inquam blasphemias & alias plerasque in hoc vestro scripto re perisse me fateor , quas sanè non video qua ratione possis ~~αινοδιξεις~~ vocare , nisi idcirco fortassis quòd manifestam vestram impietatem coarguant . Nos autem eas suo loco ita, vt spero , confutauimus , vt neque noua inde vos petere argumenta , neque nouas querere solutiones nos oporteat.

Tertium argumentum: Ab vtriusque Testamenti, & veteris Ecclesiæ exemplis.

Tertio loco exépla colloçabim⁹ ex vtroq; Testamento, & Ecclesiasticæ historiæ penu deprópta . Ac de Veteris quidē testamēti exéplis primo loco dice m⁹, nō omnibus, sed præcipuis. Sūt autē eiusmodi.

Moses homo clementissimus , & cuius rara admodum supplicia in negotiis ciuilibus legūtur , in religionis violatæ criminē severissimum exemplū edidit, tribus hominum millibus ipsius mandato, si ne vlovel ætatis, vel sexus, vel sanguinis ac coniunctionis discrimine, Leuitarum opera, propter idolatriam vituli interfec̄tis.

Asa sanctissimus princeps fœdus Domini cum populo instaurauit, hac addita formula, Q V I C V N  
Q V E N O N Q V A E S I E R I T D O M I N U M  
D E V M I S R A E L I S , I N T E R F I C I A T V R , S I-

VE PARVVS SIT, SIVE MAGNVS, VIR  
VEL MVLIER.

Iehu à Domino delectus totam Achabi familiā <sup>2.Reg.10.c.1.</sup>  
propter idololatriam penitus excidit, & sacerdotes  
Baalis ad vnum trucidauit.

Pius ille rex Iosias sacerdotes Excelsoř mačta- <sup>2.Reg.23.c.26.</sup>  
uit super altaribus, atque humana ossa super illis  
combuscit.

Helias,cessante Magistratu,extraordinaria pote- <sup>1.Reg.13.g.40.</sup>  
state fungens,sacerdotes Baalis ad torrentem Kison  
interfecit.

Ioiadas à Deo excitatus Athaliā illam impiā <sup>2.Reg.11.c.15.</sup>  
occidit,iure Magistratus extra ordinē defunctus.

Antequam autem ad Noui testamenti exempla  
accedam, operæ pretiū est cognoscere quid ex istis  
historiis colligi possit, vt omnem cauillandi occa-  
sionem, si fieri possit, aduersariis eripiamus. Sic igit-  
tur ratiocinari placet. Quod à præstantissimis istis  
Heroibus ex Principum auctoritate & imperio ge-  
stum est, & expresso Spiritus sancti testimonio lau-  
datur, id est eiusmodi vt sine blasphemia vitupe-  
rari non possit. Superest ergo vt aduersarii nobis  
concedant vel Christianis Magistratibus licere eo-  
rum factum imitari, vel certè vt ex his duobus alte-  
rum probent: nimirum aut diuersam esse hæretico-  
rum cōditionem ab istis de quibus in his exemplis  
agitur: aut de potestate Ciuali, quoad religionis con-  
seruationem attinet, per Euangelium aliquid esse de-  
tractum. Et certè hoc vidit Monfortius quum istis  
exemplis responderet. Itaque in utroque probādo  
laborat, sed inutiliter profectò, vt ii solent scilicet

qui pro mendacio dicunt aduersus veritatem . Ait  
 igitur hæc conuenire in idololatrias & sacerdotes Baal, qui ali-  
 enum Deum profitebantur: in hæreticos autem minimè, quum ho-  
 die hæreticorum nemo alienum Deum profiteatur. Hæc ille, Bel  
 lli scilicet vestigiis inhærens, qui Deum ab idolo  
 nescit distinguere: de quo crassissimo & perniciosis-  
 simo errore abūdè diximus. Deum enim isti & cul-  
 tum eius ex cuiusque opinione metiuntur. Ego ve-  
 rò affirmo simulatque extra Verbum quisquam  
 Deum contemplatur, idolum animo cōcipi: & qui  
 in Dei cultu quicquam affingat, eum verè esse ido-  
 lolatram. Sed & illud assevero, quicunque peruerso  
 ordine non se subiiciunt verbo Dei, sed quod hæ-  
 reticorum proprium est, sibi verbum Dei subiice-  
 re conantur, eos etiam idololatriæ criminè teneri,  
 eoque ipsis infidelibus esse deteriores, quòd suis mē-  
 daciis pietatis & veritatis nomē prætexant. Sed hæc  
 pluribus repeteremini minimè est, opinor, necessarium.  
 Nobis enim satis est hoc loco ostendisse quicquid  
 in crassiore illa & externa idololatria à piis & san-  
 ctis Regibus est factitatum, in hæresi tanquam eius  
 parente ac genitrice locum habere . Superest ergo  
 alterum duntaxat aduersariis refugium , nimisrum  
 ut doceant per Euangelicam doctrinam de Ciiali  
 potestate aliquid esse detractum . Olim enim curā  
 vindicādæ religionis ad Principes pertinuisse, quæ  
 nunc facultas sit ipsis erupta . Id autem probat hac  
 vna ratione, quòd sub Mose corporeus gladius spi-  
 ritualem sub Euangelio usurpādum adumbrarit:  
 qui quidem spiritualis gladius non ciuali Magi-  
 strati, sed Ecclesiæ commissus est. Quasi verò sub

Mose Dominus spiritualem etiam gladium non vibrarit. Assumunt autem isti quod nemo sanus illis concederit, iudicialem scilicet legem nō minus quām Ceremonialem figuris & vmbbris plenā fuisse, quæ Christi tanquam lucis aduentu euanuerint. Ideoque etiam clamitat nos, quum istas Veteris fœderis leges & historias citamus, iterum Legis seruitutem reuocare, & quæcunque rectè scripsit Apostolus aduersus eos qui Ceremoniarum aut aliorū operum fiducia gratiam Euangelii subuertebant, ea in nos detorquent. Hæ verò calumniæ quām falsæ sint, & quām inanes, pluribus est à nobis paulò antè explicatum. Relinquitur ergo conclusionem nostram valere à veterum Regum exemplo sumptā, in qua scilicet paria cum paribus comparētur.

Fateor tamen Heliæ & Ioiadæ factum videri peculiari quadam consideratione indigere. Verū si rem totam accuratius expendamus, comperiemus eādem esse omnium horum exemplorum rationē. Neque enim hoc quidem loco Helias ut Propheta, vel Ioiadas ut Sacerdos considerandus est, sed vt erique potius tanquam Regiam potestatē ad hæc singularia facta peragenda extra ordinem gerēs, à Domo attributam. Non est igitur quòd nos quisquā cum Monfortio cauilletur, qua ratione à Regū exemplo ad nostros Principes argumētum duximus, eadē etiā posse ab Heliæ & Ioiadæ facto ad eos qui Prophetis & sacerdotibus successerūt, idē argumētū accōmodari. Hoc enim si faceremus, diuersas & distinctas duarum iurisdictionū naturas cōfunderemus, quod nobis nunquam in mētem venit. Sed

præterea quasdam Monfortii exceptiones operæ  
preium est cognoscere , vnam aduersus Mosis fa-  
tum in punienda aurei vituli idololatria, duas ad-  
uersus heroicum illud Heliæ facinus in occiden-  
dis Baalis sacerdotibus . Quærit ergò aduersarius  
**Aduersus Mosis  
exemplum excep-  
tio Monfortii.**  
cur nō ea saltem ex Mose imitemur quæ sunt meliora, & ad Christi clementiam proprius accedunt : quale erat ipsius Mosis factum  
qui iratum Israelitis Deum placabat, (quum tamen illi Mosen ipsum lapidare uellent) & de libro utræ deleri malebat quam illi perderentur. Nunc deligere ex eius lege durissima quæque, & sanguinem omni arte appetere, hoc uero est à Christi benignitate alienissimum. Ergo, tu Monforti, Mosen quæ nobis Scriptura tantopere laudat à clementia, tanquam fænum & præcipitem, in hoc quidem factō , Christo patientissimo & clementissimo opponis: quod quū facis, certè Spiritum sanctū reprehendis. Est enim eius historiæ, de qua hīc à nobis quæritur, conclusio his verbis perscripta, Ita percussit Dominus populum, quod vitulum fecissent . Ex his autem verbis intelligimus , quicquid hīc fecit Moses Spiritus Dei afflatu & instinctu fecisse . Itaq, etiam quum idem Leuitas hortaretur ad cruētam illam cædem, vt tu quidem appellas, sed revera ad iustissimum, & (si magnitudo peccati diligenter cōsideretur) mode ratissimum imperium exequendum : Consecrate, inquit, hodie manus vestras Domino, etiam quisque in filio suo , & in fratre suo, vt detur vobis hodie fausta imprecatio. Sed hunc quoque locū facundus ille vester Bibliorū interpres audacissimè corruptit. Sic enim ista verba Mosis interpretatur, quasi Leuitæ post eam patratam cædem iubeantur manus sanguine fratrum contaminatas expiare, quum

Exod.32. g. 35.

Ibidem g. 29.

hæc potius vel ex doctissimi Aben Esrae auctoritate, per præteritum plusquam perfectum fuerint cōuertenda, vt imperandi modi proprietas seruetur: neque, vt opinor, proferri possit exemplum, in quo ostendatur verbum **I M P L E R E**, quo illic vritur Moses, pro **E X P I A R E** usurpatum. Et certè tantū abest vt hoc Leuitarum factum expiatione indigeret, vt contrà Moses nō alio quām gratissimi sacrificii nomine dignetur: adeò quidem vt (quemadmodum in eum locum doctissimus interpres annotauit) propter hoc vnum factum maledictio Iacobi super Leui, sit in benedictionem conuersa, sicut **Deut. 33. b. 9.** ex Mosis benedictione appareret. Vtri igitur credemus? tibine qui durissimum hoc factum appellas, & melius aliquod à nobis feligi vis: an verò potius Spiritui sancto, qui hæc cædem sacrificium vocat, qui Leuitis propterea benedit: qui denique Deum ipsum prædicat huius facti auctorem? Sed Christus (inquis) hoc non fecit. Imò verò, bone vir, quod Patris auctoritate factum est, an Filio potuit displicuisse, qui similes poenas quotidie ingratisho minibus iustè infligit? Fateor tamen quum hīc nobiscum in terris versaretur, nihil esse eiusmodi ab ipso factū. Nego tamen ab hoc exemplo abstinuisse, quasi vel impium vel crudele id esset, (neq; enim vel impietas est vel crudelitas nocentissimos homines à Magistratu interfici) sed quia hæc non erat propriè ipsius functio ad quam destinatus erat à Patre, neque tempus à Deo istis iudiciis constitutū aduenerat. Audiri enim prius Christum oportebat quām ipsius contemptū vindicari. I nunc Monfor

ti, & melius aliquod ac præstantius factum in Mo-  
sis vita nobis felige quod ciuilis Magistratus imi-  
tetur. Nam quod tu commemoras de Mose pro Is-  
raelitarum salute Dominū rogāte, neque pertinet  
ad id de quo agitur, neque contra nos facit. Erat e-  
nīm etiam Moses populi interpres apud Deum.  
Deinde quod Christiana charitas iubet, vt alii de a-  
lliorum salute maximē solliciti simus, tātum abest  
vt cum Principum officio pugnare arbitremur, vt  
contrā velut à communibus quibusdam omnium  
patribus totam Rempublicam ab iis cēseamus o-  
portere Domino commendari, atque adeò vel in  
primis eos ipsos quorum sceleribus vindicandis  
gladium à Deo acceperunt. Neque enim prauam  
villam cupiditatem, sed Dei timorem, & Reipublicæ  
charitatem debet ad iudicium afferre. Eius autem  
rei exemplum nobis insigne præbet Moses, ita hūc  
populum complectens, vt ad ipsius scelera non cō-  
niueat: ita rursus puniens, vt vel suæ salutis iactura  
sit paratus eos Domino reconciliare. Tu igitur in  
eo blasphemus es, quod partim obscurè accuses,  
partim tam parcè laudes id factum quod Spiritus  
Sanctus tantopere commendat, vt summa etiam  
mercede dignetur: in eo verò ineptus, quod à Ma-  
gistratus officio in quo versamur, ad Ecclesiasticū  
ministeriū nos reuoces: in eo imperitus, quod chari-  
tate cum moderata seueritate pugnare existimes.

Nūc de illo Heliæ sacrificio videamus quid sen-  
tias. In eo, inquis (de nobis loquēs) malitiosè sānè faciunt,  
qui non eiusdem Heliæ factum illud commemorent, quum ignem  
ē cælo deuocauit quod milites absumpserit. quod profecto non omi-

siffent, nisi uiderent Apostolos à Christo reprehensos esse dum il-  
 lud Heliæ factum uolunt imitari. Ego verò, vt spero, huic  
 tux calumniae ita respondebo, vt tuas ineptias hīc  
 quoque patefaciam. Respondeo igitur, exemplū il-  
 lud Heliæ quod tu cōmemoras, nō esse à nobis ma-  
 litiosē, vt tu putas, prætermissū, sed quòd nolimus  
 tuo exemplo ineptire, id est temerè omnia & sine  
 iudicio effutire. Pertinet enim hoc exemplum ad  
 Tyrannos & Tyrannorum ministros, quos Domi-  
 nus inultos abire non sinet. Nos autem et si aliquatenus  
 id poteramus ad hæreticos accommodare,  
 qui & ipsi Ecclesiam Dei populantur: tamen quia  
 (sicut tu ipse alicubi fateris) in hoc quidē factō plu-  
 sculum etiam Heliæ quām Magistratui licuit, ne  
 quid causari posses à nobis parum appositè dictū,  
 vel nimium sollicitè cōquisitum, vt eō noluiimus.  
 Sed quòd Apostoli postea quum hoc exemplum imi-  
 tari vellent, à Christo reprehenduntur, minimè  
 id sit quasi Helias crudelitatis accusetur, à qua velit  
 Christus suos discipulos esse alienos, sed quia ipso-  
 rum ~~κακούνια~~ summam certè reprehensionem mere-  
 batur: quum neque hæc esset ipsum functio, (nisi  
 fortassis extra ordinem ad id peragendum spiritua-  
 li Dei mandato mitterentur,) neque simile esset Sa-  
 maritanorū factum cum eo quod vltus est Helias.  
 Hunc enim pietatis prætextu cupiebat occidere A-  
 hazias impius apostata: hīc Samaritani Christo trā-  
 seuti hospitiū negat. Illic cū apostatis negotiū erat  
 Prophetæ: hīc cū iis qui Euangelium nunquam  
 cognouerant. Illic Helias ex Dei mandato ignē de-  
 uocat è cælo ad Dei gloriam asserendam: hīc Apo-  
 q.i.

stoli humano affectu vindicandæ iniuriæ stimulan-  
tur. Deinde temporum habenda ratio est. H̄elias ad  
asserendum Dei cultum missus erat, & vlciscendā  
Israelis perfidiam Christus & Apostoli ad promul-  
gandam Euangelii doctrinam, quæ plerisque noua  
& dura videbatur, Legis ceremoniis afluens. Aliud  
est autem Euangelium promulgare, quām promul-  
gati auctoritatem aduersus perfidiosos eius conté-  
ptores asserere. Meritò itaque Christus discipulos  
ad suæ functionis considerationem reuocat, neque  
tamen (vt tu existimas) Heliām tanquam seueriorē  
reprehendit. Ceterū altera tua exceptio hæc est:  
H̄elias ignem è cælo impetravit ad comburendum sacrificium, e-  
tiam aqua ter conspersum: id quod Baalenses facere nō poterant.  
Itaque hac uictoria potitus, de illis triumphauit, hoc est, eos inter-  
fecit. At isti uolunt triumphare sine uictoria. Quem enim unquā  
ignem de cælo denocarunt? Sacrificium Deo acceptum, est Spiritus  
contribulatus: hostia uiuens, populus Deo in spiritu & ueritate ser-  
uiens. Talem populum si habet, & ad hoc incendū sacrificiū,  
charitatis ignem, & spiritum è cælo denocarum, est sanè quod me-  
ritò de Baalis sacerdotibus triumphent: & eos gladio non corpora-  
li sed spirituali & ancipiunt, hoc est uiuo Dei uerbo iugulent. Sim po-  
pulum habent rebellē & cōrumacē, & totas noctes pergræcan-  
tem (id quod ipsimet pro suggestu magna uoce testari solent) neque  
adhuc quum clamauerunt usque ad uesperam, ullum charitatis  
igne obtinere potuerūt quin omnia in deterius abeant, eousque ut  
ipsi saepè Pastores ab omnibus suis in exilium detrudantur: desinant  
Heliæ triumphum initari uelle, cuius uictoram nequeūt imitari.  
Hæc tu Moforti, allegoriis tuis inhærens, quarum  
ut summa futilitas ac leuitas melius intelligeretur,  
totum hūc locum ex tua refutatione descripsi. Nos  
autem, sicut res ipsa ostendit, neque nostros trium-  
phos, neque quæ nostra sunt, sed gloriam Dei quæ-

rimus,& eius rei testem Deum injuocamus. De te ve  
rò, impurissime Sycophanta, quid tandem sentien-  
dum est, quem nō pudeat fideles Dei seruos tot ma-  
ledictis onerare: Hominum certe summam contu-  
maciam, quam tu ridens illis exprobras, ipsi quoti-  
die plurimis cum lachrymis deplorant. Verùm  
quid hīc tandem possis obliicere quod iam inde à  
mundi initio fidelibus omnibus Dei seruis non cō  
tigerit? Nam vt vetustissimos illos Patriarchas ta-  
ceam, Prophetæ suis illis clamoribus quātum pro-  
mouerunt: Christus ipse & discipuli, eius vestigia se  
cuti, quid aliud retulerūt præter verbera, exilia, cru-  
ces? Id enim demū diligit mūdus quod suum est. I.  
taque nō est quòd nostrarū Ecclesiarum Ministris,  
doctissimis & diligentissimis hominibus, paruos  
pro illorum labore ac diligentia fructus obiicias.  
Ingratis potius animis, & tibi, cæterisque Diaboli  
emissariis hoc debet acceptum ferri, qui in iis euer-  
tendis omnes neruos contendatis quæ maximis la-  
boribus fideles serui Dei construxerūt. Sed vestrā  
tamē ista pertinacia, vt spero, neque istorū cursū re-  
tardabit, neque optimorum & fortissimorum Prin-  
cipum constantiam franget, quominus illi in ape-  
riendis, isti in impediendis vestrīs consiliis multo  
etiam magis quām vñquam antea strenuam ope-  
ram nauent.

Reliqua sunt Nebucadnezaris, Dārii, & Artaxer-  
xis edicta, quorum formulas Spiritus sanctus exta-  
re voluit, vt Principes Christianos puderet, in vin-  
dicanda religione profanis Regibus priores conce-  
dere. **F**a igitur sunt ciusmodi. A me factum est istud

Ioh. 15. c. 4.

**Exempla pro-  
fanorum regula-**  
**ex Vetero Testa-  
mento.**

Dan. p. 96.

q. ii.

„ decretum (inquit Nebucadnezar) vt quicunque po  
 „ pulus, natio aut lingua dixerit blasphemiam in Deum  
 „ Sadrah, Mesah, Abednego, frustulatim cōficiatur,  
 „ eiūsque domus in sterquilinū redigatur, quia nul-  
 „ lus est alius Deus qui possit in hunc modum serua-  
 „ re. Darius autem, Constitutum est, inquit, à me tale  
 „ decretum, vt quicunque mortalium hoc edictum,  
 „ de instaurando templo scilicet, mutarit, tollatur  
 „ trabs è domo eius, in quam erectam suspendatur, &  
 „ domus eius prōpterea in sterquilinum redigatur.  
 „ Deinde Artaxerxes Esdram compellans, Quicun-  
 „ que, inquit, facere noluerit Legem Dei tui, atque le-  
 „ gem Regis, de hoc illico fiat iudicium, siue ad mor-  
 „ tem, siue ad eradicationem, siue ut facultatibus mul-  
 „ tetur; siue ut vinciatur. Haec igitur edita Mōforti,  
 „ sine extrema impudentia negare non potes ita esse  
 „ scripta, vt Spiritus sancti voce cuiuis apparere pos-  
 „ sit magnifice prædicari: hic autem te deserit acuta il-  
 „ la Legis iudicialis allegoria, quam tu soles veluti cly-  
 „ peum opponere. Quanquam verò satis scio tibi nū  
 „ quam defuturum quod garrias, nondum tamen di-  
 „ uinare potui quam tandem exceptionem sis allatu-  
 „ rus. Interim igitur dum te accingis, nos non pige-  
 „ bit Christianos omnes Magistratus quanta maxi-  
 „ ma contentione p̄fsumus, non ad crudelitatem, à  
 „ qua multo magis abhorremus quam tu facias, sed  
 „ ad veram religionem, omnibus iis præsidiis quæ à  
 „ Deo acceperunt, prudēter quidem & moderatè, sed  
 „ fortiter tamen & scuerè conseruandam adhortari.

Exempla Noui testamenti.

Nunc agè, ad Noui testamenti exempla pro-

grediamur, quæ omnino duo sunt, in Actis Apost. cap. 5, & cap. 13, eaque nō sine iudicio ad quæstionē nobis propositam accommodanda. Nimirum Ananias & Sapphira verbo interfecti à Petro: & Elymas magus verbo à Paulo excæcatus. Quod igitur ad illud Petri factū attinet, fateor quidem illos à Petro non esse propter hæresin interfectos, sed propter hypocrisim, propter sacrilegium, propter impudens mendacium. Fateor quoque quod hīc Petrus fecit neque à ministris Verbi & Ecclesiasticæ disciplinæ præfectis posse in exēplum trahi, fuit enim hæc in Petro extraordinaria potestas, ) neque ab ipso etiam ciuili Magistratu, quatenus quidem Petrus solo Verbo occidit, quod, etiam vt velit, ille præstare non possit: & crimen alioquin hominibus occultum punit, quum Magistratus non nisi de manifestis iudicare possit, quibus scilicet societatem Ciuitatem læsam esse constet. Haec tenus ergo ad institutum nostrum pertinet hoc exemplum, vt ex eo colligamus, mirum videri non debere, si ab ordinario Dei Ministro gladius in conuictos & factiosos religionis contemptores stringatur, quum Petrus religionis contemptum quanuis adhuc occultum & latenter, capitali supplicio punierit. Firmū autem esse hoc argumentum ex ipsa personarum & criminū comparatione liquet. Vtrobique enim de contemptoribus verbi Dei agitur, qui tamen sanctissimi videri velint. Crimina in genere sunt eadem, religionis & Ecclesiæ contemptus, sacrilegium, hypocrisis, summa in mentiendo impudenteria. In eo tantum differunt, quod illic in uno fa-

q. iii.

& o peccatur, h̄ic in doctrina: illic occultum est sce-  
 lus, h̄ic verò manifestum. Ex hoc autem consequi-  
 tur crimen h̄ereseos tanto acerbius puniendum,  
 quanto periculosius est in doctrina errare quām in  
 vna quapiam re facienda peccare: & quanto perni-  
 ciosius existit manifestum scelus de quo ipse glorie-  
 ris, quām latens vitium, quod ita dissimiles vt totū  
 intus contineas. Elymam autem propter h̄eresin  
 à Paulo fuisse excæcatum Lucas aperte, n̄ fallor, de-  
 clarat: scribit enim eum laborasse vt Sergiu Pro-  
 consulem à fide auerteret, & à Paulo fuisse his ver-  
 bis obiurgatū, O plene omni dolo, & omni impro-  
 bitate, fili diaboli, inimice omnis iustitiae, non de-  
 fines inuertere vias Domini rectas? Est autē id pro-  
 prium h̄ereticorum, per dolum & improbitatem  
 alios à fide auertere, & vias Domini, id est doctrinā  
 in verbo ipsius expressam, peruertere. Porrò quan-  
 uis hoc exemplum capitalem pœnam non conti-  
 neat, ostendit tamen, quod Academicī tam præfra-  
 ètē negant, in religionis causa corporali etiam pœ-  
 næ locum esse. Nos autem, sicut s̄æpe iam repetii-  
 mus, certè non suademus vt statim ad seuerissima  
 remedia veniatur, sed tuim demum quum id postu-  
 lat criminis grauitas, aut cōmodius prospici alio-  
 rum saluti nō potest, quām si putre membrum fer-  
 ro resecetur. Cæterū si quis pauca esse h̄ec exem-  
 pla obiecerit, cogitet singula quæ eotempore conti-  
 gerunt, non esse perscripta. Est autem probabile do-  
 num illud *duo rāueor* non frustrà fuisse Ecclesiæ con-  
 cessum, sed suis temporibus ac momentis frequen-  
 ter usurpatum. Deinde quum, vt antè dixi, neque

imminuta nunc sit Dei maiestas, neque de Ciuali  
potestate quicquam detractum, apparet utriusque  
Testamenti exempla esse coniungenda. Postremò  
peculiaris fuit eorum temporum ratio, quibus vi-  
sum est Domino non modò inermes & ab omni  
terrena potentia destitutos Apostolos mittere, sed  
etiam totum mundum infestum habere, ut cælestē  
esse Euangelii victoriā omnibus constaret. Et cer-  
tè, sicut recte quidam scripsit, Euangelii ministros  
in genere Christus magis armat patientia quam  
gladii ullius praesidio. Sed, ut ita sit, quoties tamen  
Dominus Ciuilis etiam potestatis subsidio Eccle-  
siam munit, sine insigni ipsius iniuria contemni nec  
potest nec debet. Ex his autem omnibus effici vide-  
tur quod probandum suscepimus: Nimurum Ma-  
gistratus Ciuilis hoc esse vel præcipuum officium,  
ut contemptum & perturbationem veræ religionis,  
corporali atque adeò interdū quoque capitali sup-  
plicio, in hæreticis vindicit.

Sed tempus est ut Monfortii exceptiones audia-  
mus. Quærerit igitur primùm, cur non hæc potius ex Novo  
testamento proferamus, Igo mitto uos sicut oves in medioluporum.  
uel, Beati etsi quum uos persecuti fuerint homines, uel, Mundus  
gaudebit, & uos plorabit. Quid verò, Monforti, an  
hæc vera esse negamus: au non potius ita esse quo-  
tidie experimur: an hæc pugnant cum ea doctrina  
quam tradimus: an nos ministris Ecclesiasticis Ci-  
uilem potestatem tribuimus: an quum Minister ver-  
bi aduersus iniictam hæreticorum rabiem subsidium  
Ciuilis potestatis à ministro Dei flagitat, quis  
esse definit in luporum medio: an lupi naturā in-

Exceptio Mon-  
fortii aduersus  
ista Novi testa-  
menti exemp...  
ta

q. iiii.

duit Magistratus quum in praefractos & factiosos religionis contemptores gladiū in sua ditione strin git: an quia Magistratus, quoties ita expedit, hæreticos ad iustum supplicium trahit, propterea Mundus exultare, & Ecclesia Dei afflicta plorare desinit? Sed ita nimirum didicisti ex fanatico tuo Clebergio ratiocinari, quem quidem vñā tecum Anticyram deportandū censeo, vt si fieri possit, vestrā insaniā euomatis. Sed agē, reliqua tua præsidia aggrediamur. Petrus, inquis, Ananiam & Sapphiram propter hypocrisim & mendacium interfecit. Iste ceterā nenniā eos interficiunt qui mentiri nolunt. Itāne verò Sycophanta? téne adeò tui obliuisci potuisse, vt ab iis veritatē dicas supplicio capitali puniri, à quibus Veritas ipsa clamat sese nostris temporibus assertam? Sed idoneā profectō rationem affers cur id dicas. Sic enim de nobis scribis, si quis in eorum religionem uerbis & exteriore facto consentit, non necatur, etiamsi animo sit alienus: ex quo apparet, apud eos locum esse mendacio magis quam ueritati, quum si quis dicat quod sentit, occidatur. Ista verò quanuis à nostro scopo sint aliena, (neque enim hic quæro quid fieri soleat, sed quid fieri oporteat,) tamē à me propter singularem & inauditam tuam maledicentiā refutabuntur. Nam, obsecro, quid non ille dicere audeat, qui hæc scribere non dubitet? Ostende igitur, vir optime, cui tandem periculum creauerimus quòd ea diceret quæ sentiret? Anabaptistas aliquot punierunt nostri Principes, non quòd ea dicerent quæ sentirent, neque vt vi cogerentur ad veram amplectendam religionem: sed quòd totius humanæ societatis vinculum abrumperent, quòd perfidiosi

Prima Monfortii exceptio.  
aduersus Petri exemplum.

essent apostatae, quod Verbum Dei manifestissime  
 corrumperent, quod Ecclesiae authoritatem habe-  
 rent ludibrio, quod ciuium consensum factiosè la-  
 cerarent. Seruetus quoque, teterimum illud mon-  
 strum, poenas dedit, non quod id diceret quod sen-  
 tiret, sed quod ita iniuste de tota Trinitate, de Chri-  
 sti humana natura, de puerorum Baptismo, de fide,  
 de iustitia, de tota denique religione sentiret, loque-  
 retur, scriberet, ita flagitiose & sceleratè totis annis  
 triginta verbum Dei, Ecclesiam, Magistratum lu-  
 dibrio haberet, ut nihil unquam magis impurum  
 & detestandum Sol iste conspexerit. Quam tu vero  
 inuidiosè & malitiosè religionem nostram vocas,  
 eam non peculiarem nobis, sed cum tota Christiana  
 Ecclesia communem esse scito, ex qua tu pridè  
 cum tuis electus esses, si tam seueri essemus quam tu  
 nos esse crudeles calumniaris. Ad eius autem profes-  
 sionem neminem cogere didicimus. Dat operā Pasto-  
 res ut omnes verā hāc esse religionē intelligent: ita  
 tamē ut nullius unquam colloquiū defugerint, neque  
 quicquā prorsus ex priuata sua auctoritate admini-  
 strēt. Magistratus ex officio curāt ut verbū Dei pu-  
 rē & sincerē doceatur: publica offēdicula pro virili  
 tollunt, turbarum & offenditionum occasionibus  
 medentur, de occultis iudicare nec possunt, nec vo-  
 lunt. Quid autem est in istis quod iure reprehēdas?  
 Itaque quum eo impudentiæ sis progressus, ut tot  
 clarissimarum vrbium pios Magistratus, tot fide-  
 les Pastores, nō modò crudeles dicere, sed etiam ut  
 capitales veritatis hostes audeas accusare, & in his  
 etiam quasi nominatim fidelissimā illam Tiguri-

nam Ecclesiā his conuitiis proscindere, in cuius sci licet doctissimum & diligentissimum Pastorē putidam istam tuam defensionē scripsisti: quū, inquam, in hæc flagitia proruperis, iustissimè certè fecerint illi si suam dignitatē asseruerint. Ut autem illorum manus effugias, Deus tamen proculdubio tuam istā maledicentiam dignis tādem suppliciis aliquando vindicabit. Sed reliquas tuas calumnias audiamus.

**Secunda.** *Si diænt, inquis, se de animo iudicare non posse, sed hominē ex ipsis uerbis iudicare. desinat Petrum citare, qui de Ananiæ animo, à nomine nisi à Spiritu sancto doctus, iudicauit: id quod ipsi facere non possunt, quippe non eo spiritu pr. editi. Nos verò isti calumniæ ansam præcidimus, quum hoc exemplum ad propositam quæstionem accommodaremus. Neque aliter sensisse Bullingerum, aut quemquam alium apparet. Ecquis enim ignorat Magistratum non posse Petri factum in eo imitari, quod Petrus solo Spiritus sancti afflatu doctus, de Ananiæ animo iudicauit? Sed ut aliter soleat Magistratus de hærefios criminis cognoscere, an sequitur quia diuersa cognitio seu criminis probatio est, idcirco ordinariæ potestati in eodem criminis vindicando non licere quod Petro extra ordinem licuit?*

**Tertia.** *At enim, dicis, Ananiæ non propter hæresin illud accidit, sed quod partiri uoluit cum Domino, quum deberet aut nihil, aut totū dare: id quod declarat Petrus, dum ait, Nōnne prorsus tibi manebat ager? Tamen datus erat in tua potestate? quasi hoc dicat, Ne mo te cogebat uendere aut afferre: neque eos cogimus qui nihil afferunt. At isti uolunt etiam in eos animaduertere qui ipsorum religioni nomen non dederunt. Cur non eadē dicunt quæ Petrus? Nos neminem sua bona uendere & Christo offerre: hoc est neminem sibi renūtiare cogimus. Sed si quis sua spōte renūtiat, oportet ut sibi*

toti renuntiet, & Domino hostiam integrā & immaculatā offerat.  
 Nam Dominus totum hominem habere vult, sicut maritus uxorem.  
 Quod si quis Deo nō toto corde seruit, sed minus præstat quād po-  
 test, is uerè Ananiā imitatur. Hic verò Monforti, quia  
 multa mendacia sine iudicio consuisti, nos ea sigil-  
 latim explicabim⁹, ut tibi gratificemur. Ananiā di-  
 cis propter hæresin istud nō cōtigisse. Fateor. Quid  
 inde efficitur? Ineptè à nobis afferri hoc exéplum.  
 Id ego pernego. Dico enim si extra ordinem puni-  
 re tam seuerē licuit occultum religionis contem-  
 ptum, occultū sacrilegiū, occultū mendaciū: multo  
 magis oportere Magistratum hæc eadem crima,  
 non iam occulta, sed manifesta, & præterea cū bla-  
 sphemia, cūmque aliorū pernicie, & Ciuilis societa-  
 tis periculoſissima perturbatione coniuncta, deniq;  
 præfracta pertinacia confirmata, pro suo iure coér-  
 cere. Hæc ego, inquam, affirmo. Tu verò nouas ali-  
 quas rationes, si libet, excogita, quibus hoc argumē-  
 tum refelli possit. Nam illa quidem est infirmior  
 quād vt ea niti possis. Deinde quod Ananiā dicis  
 à Petro idcirco reprehendi, quod partiri voluisse  
 cum Domino, quum deberet nihil aut totum dare:  
 satis arguit eum locum non nisi oscitanter à te  
 fuisse perleētum. Prætermittis enim quod præci-  
 puum est, id est simulationem Ananiā, qui totū pre-  
 tium videri volebat contulisse. Nam alioquin, si a-  
 perte professus fuisset sese partem tantūm faculta-  
 tum suarum Domino consecrare, non ita acerbè à  
 Petro reprehensus esset: siquidem ei non minus li-  
 berum erat partem pretii sibi seruare, quād agrū  
 non vendere. Sed quum totum pretium initio vo-

uisset Domino, ( cur enim totum prædium vendidisset?) & postea partem eius sibi seruasset, videritamen volebat omnia contulisse. Itaque non modò incredulus, simulator, ambitiosus erat, sed etiam sacrilegus, & eius Spiritus contemptor à quo regitur Ecclesia, quem nimirum existimabat nihil istorū intelligere posse. Hæc autem omnia quum tibi nunquam in mentem venerint, minimè miror te absurdam istam allegoriam potuisse cōminisci. Hinc enim colligis Deum non esse contentum aliqua nostrī parte, sed totum hominem poscere. Hoc autem et si verum est, commodè tamen interpretari oportuit. Nam quandiu hîc versabimur, semper erunt in nobis peccati reliquiæ quæ nos exclamare cogant cum Apostolo, Video aliam legem in mēbris meis rebellantem legi mentis meæ: &, Miserū me, quis me liberabit ex hoc corpore morti obnoxio! Deinde hæc omnia ex eo colligi non possunt quod falso à te dictum esse ostēdimus, nempe quod Ananias aut nihil aut totum Deo dare deberet. Sed si quis huic doctrinæ locus est in hoc exemplo, respicere potius debuisti Ananiæ hypocrisim & infidelitatem, qui Deo non nisi sub bono, quod aiunt, pignore consideret, quum Dominus Deus noster plenam fidem, & apertam eius professionem postulet. Sed quorsum hæc: Certè ad rem non pertinent: sed ea tamē paucis explicare volui, vt quæ tua sit in explicandis Scripturis infantia, patefacerem. Cæteras enim huius tuæ allegoriæ ineptias persequi nec libet nec licet. Tantum dico, quum eum scribas Ananiam verè imitari qui non toto corde Deo ser-

uiat, meritò videri te posse in tua causa præuaricari. Nā certè de nullis veri<sup>o</sup> quām dē hæreticis hoc possis affirmare. Itaque miror cur eos reprehēdas qui non minus seuerè à Magistratu puniendos istos arbitrantur, quām olim fuerit à Petro, aut à Deo potius ipso punitus Ananias.

Sed quod uerbo fecit Petrus, inquis, id gladio tribuere est ab Quarta. surdissimum. Hoc tu quidem dicis, Monforti, sed causam tantæ huius absurditatis nullam affers: quod ego non miror, quum nulla possit idonea inueniri. Nam rectè protestò Bullingerus, cuius tu pietatē & eruditionem reuereri debueras, quum prospiceret nonnullis prima specie videri posse hoc exemplum huic nostræ quæstioni non satis conuenire, in quo scilicet nō ciuilis Magistratus, sed Apostolus, non gladio sed verbo feriret, paucis ad hæc duo capita respondit. Primùm enim ostendit id ipsum hīc agi à Deo per Apostolum, quod agere solet per Magistratum: id est, ut doctissimi viri sententiam pluribus explicem, Petrum hīc nobis proponi, non simpliciter ut Apostolū (quæ erat ipsius ordinaria functio) sed ut Magistratus potestate fungentem extra ordinem, ut sacrilegum Dei & Ecclesiæ contemptorem puniret. Deinde quod ad alterum caput attinet, Occidere semper esse occidere, neque admodū referre cardatur aliquis gladio, poculis, an verbis: id est, parum in eo esse momenti, quod alio instrumento, nimirū verbo, Ananias hīc dicatur occisus, quām gladio, id est iis instrumentis quibus uti solent carnifices ex Magistratus imperio. Nam et si diuersum est instrumentum, idem tamen est supplicium in ge-

nere, corporale scilicet & capitale. Ex quo cōsequitur cōuenire hoc exemplum propositæ quæstioni, An in causa religionis ciuili Magistratui liceat capitale supplicium usurpare. Et hæc quidem ille verè & acutè respondit. Tu verò quum nihil istorum intelligas, mira nobis arcana commemoras. Osten dis enim aliud esse verbo quām gladio occidere, quod illud sit Christi & Ecclesiæ telum, cuius arma non sunt carnalia: iste verò carneus carneo Magistratui conueniat. Sed quorsum hæc homo ineptissime: Nam nos certè iurisdictiones non confundimus. At tu potius quod videri vis distinguere, præ imperitia conturbas. Putas enim in hoc Petri facto extare spiritualis illius & ancipitis gladii usum, qui Ecclesiæ concessus est, in quo magnopere hallucinatis. Vita enim hīc eripitur Ananiæ, quod proprium est Ciuilis iurisdictionis, quocunque instrumento id fiat. Nam demolitio illa munitionum non fit vitam eripiendo, aut verbo, aut alio aliquo instrumento, sed (ut ipse Apostolus declarat) captiuam ducendo omnem cogitationem ad obedientum Christo, gladio scilicet illo θύρᾳ, qui pertingit quidem ad divisionem usque animæ & spiritus, & compagnum ac medullarum, sed ut cogitationes & intentiones discernat, non autem ut vitam eripiat. Fateor tamē aliquam etiam vltionis potestatem, quam alibi (ut antè dixi) Apostolus θυάμων appellazione comprehendit, eo tempore fuisse certis personis concessam. Sed hoc donum neque ordinariū, neque perpetuum fuit. Alioquin si quod vni & alteri extra ordinem licuit, Ecclesiasticis ministris tanquam suo iure lice-

re velis,'Ciuilem iurisdictionem cum Ecclesia con-fuderis.Falsa igitur,vana,futilia ,inepta sunt quæ-cunque in hunc locum temerè concessisti.

Hæc autem paulo pòst subiicis, si Magistratus occidit Quinta.  
gladio, si cut Petrus uerbo, cur non eodem gladio mortuos suscita-re porrít, si cut Petrus uerbo potuit? Occidere gladio etiam latro po-teat, sed uerbo non potest. Ostendite uos plus posse quam latrones, aut quam potuerunt scribæ & Pharisæi, qui Iesum gladio occide-runt.O ineptias hominis! Magistratum fateor quod ad instrumentum attinet,Petri factum imitari non posse. Sed quod Petrus verbo potuit extra ordiné, hoc ipsi possunt gladio,id est iis instrumentis quæ à Domino in eum usum acceperunt,vt homines sub 1.Tim.3.2.2.  
eorum imperio placidam ac quietam vitam degat cum omni pietate & honestate . Cur autem gladio resuscitare nullum possint,hæc causa est,quia diuer-sa hæc sunt officia,occidere & resuscitare . Illud enim est perpetuum Ciuilis potestatis munus ,hoc autem Ecclesiæ datum fuit ad tempus. Hic igitur tam in ipsis Ro.13.2.2,&c 4. ineptus es. In eo verò planè es impius & bla-sphemus quod potestatem à Deo ordinatam,Dei,in quam,Ministrum qui gladium portat,cum latroni-bus audeas comparare . Quare non dubito quin id tibi contingat quod cæteris qui Deo resistunt,nimi-rum ut tibi sponte exitium accersas.Nam quid iu-stius est quam ut quod tibi ostendi tam importunè flagitas,id tibi in teipso Magistratus ostendat?

Sed ad aliam exceptionem venio. An erat,inquis, Sexta.  
Ananias facinorosus? aut tu, si Magistratus es, Ananiam profaci-nor, si opiniates? qua lege? quid commisisti? Mentitus est spiritui san-cto. Et quotus quisque est qui hodie non mentiatur spiritui sancto? Et paulo pòst, videmus longè aliud esse officium Pastoris

quād Magistratus . quemadmodum quidam uobis satis notus declarat his uerbis, Nihil sibi sumit Ecclesia quod sit proprium Magistratus: neque hoc efficiere potest Magistratus, quod ab Ecclesia per agitur. Quae uerba si uera confiteris, non potuisset Magistratus occidere Ananiam, & porro neque quenquam hæreticorum , aut eorum qui uerbo puniendi sunt: alioquin priuat Magistratus Apostolos telo ipsorum. Agnoscis verba tua, Mōforti, ad quæ sic respondeo. Etiam si tibi concessero Ananiam nō fuisse ex eorum numero in quos iure potuisset Magistratus animaduertere, valet tamen argumentum ab eius exemplo sumptum, quia non semper paria cum paribus, sed etiam minora cum maioribus cōparantur. Sic ergo ratiocinor: Si religionis cōtempsum occultum hominibus, & adhuc in animo latitatem, si occultam blasphemiam, occultum sacrilegium, capitali supplicio extra ordinem punire licuit Apostolis , eo scilicet tempore quo Ecclesia à Magistribus omnib⁹ oppugnabatur, primum omnium (vt hoc παρέπεται dicā) apparet in religionis causa capitali pœnæ locum relinquī, & tuam illam zizaniorum extirpationem in aliqua specie non valere. Deinde multo certè magis licet ipsi ordinariæ potestati quæ Christo nomen dederit, in hæreticum, id est impium, blasphemum, peruicacem, fastiosum , apostamat , gladium distingere, quem à Deo ad coercēdos malos accepit. Sic inquam, ratiocinor Monforti, Tu, si potes, quod sit istorum argumentorum vitium ostende. Carterum quod ille vobis quoque bene notus scripsit, nihil sibi sumere Ecclesiam quod sit proprium Magistratus: neque hoc efficere posse Magistratū quod ab Ecclesia peragi-

tur, id sanè verissimè dictum est. Sed quod tu ex eo colligis, tantum abest ut cum eo consentiat, ut ab eo contrà destruatur. Idque ut melius possit intelligi, totam argumentationem tuam subiiciam:

*Quod Ecclesia peragit, Magistratus efficiere non potest.*

*Ananias cædem, & Elymae execrationem Ecclesia peragit.*

*Ergo non potest Magistratus Ananias cædem aut Elymae, &c.*

Hic verò non vides ineptissime Sycophâta τὸ κριτόμενον à te assumi? Id autē nemo tibi concesserit, Petri scilicet & Pauli hæc exempla ad Ecclesiasticā iurisdictionē pertinere. Hic enim uterque extraordinaria potestate fungitur, sicut etiam Helias & Ioiadas in exemplis paulò antè cōmemoratis. Nam alioquin occidendi facultatem, quæ ciuili Magistratui peculiaris est, cum Ecclesiastica functione communicares, ut hæc duæ iurisdictiones non re, sed instrumento tantùm different, eo nimirum quod Ciuilis potestas gladio & aliis eiusmodi instrumentis, Ecclesiastica verò soloverbo iugularet. Absit autem à nobis ut hanc perturbationem, vel vestro vel Papistarum exemplo, in Ecclesiam inuehamus. Sic igitur contra ratiocinari oportuerat:

Ecclesia sibi nō sumit quod est propriū Magistrat⁹.

Vitam eripere, est proprium Magistratus.

Ergo Ecclesia vitam non eripit. Probari autem κριτόμενον ab officio Magistratus, & plurimis Scripturæ testimoniis potest.

Concidit igitur hæc quoque ratiocinatio tua: sexta.  
*Si Magistratus potest ferro occidere, quos debet Pastor uerbo occidere, oportet ut uicissim Pastor occidere possit uerbo, quos debet Magistratus ferro occidere. Hic enim iterum ad eundem locum*

pulum impingis, quia quæ natura sunt eadem, tan-  
quam diuersa distinguis, & falsum etiam assumis, li-  
cere scilicet Pastoribus verbo occidere: quod falsū  
est, nisi fortè & ipsis extraordinaria hæc potestas cō-  
cedatur. Agnoscis igitur tandem inceptias tuas, be-  
lua, an verò superest adhuc aliquid quod garrias: I-  
mo verò supersunt adhuc plurima, quæ paucis  
absoluam.

Septima.

Redis enim ad illam tuam allegoriam, quum i-  
ta scribis, voluit Deus ostendere in Anania quas poenas passuri  
sint, qui non se totos dicabunt cultui diuino, & qui mentientur spi-  
ritui sancto, quum se non plus præstare posse dicēt quam præstāt.  
Sed fuit illud in figura factum: quemadmodum etiam Christi cru-  
cifixio, quam Paulus declarat, dum dicit eos qui Christi sunt, car-  
nem suam crucifixisse cum suis concupiscentiis. At ego, Mon-  
forti, credideram istas tuas allegorias ad Vetus dun-  
taxat testamentum pertinere: sed quantum possum  
coniicere, si tibi credamus, nobis erit in ipsis Cim-  
meriis tenebris cōfusescendum. Quum igitur nul-  
lum ipsis figuris terminum constituas, obsecro, si te  
correptum Magistratus illi quos cum latronibus  
paulo antè comparasti eo quod tu mereris suppli-  
cio afficere vellent, de quo tandem conqueri posses?  
Nam, ut nullam aliam magis idoneam rationem  
haberent, certè possent prætexere supplicium istud  
tuum nihil aliud quam allegoriam esse, qua nimis  
Deus ostenderet quas poenas passuri sint ii qui  
contumeliosè resistunt potestati quam ipse consti-  
tuit, & qui Spiritui sancto mētiuntur, id est suis im-  
pudentissimis mendaciis pietatis studiū prætexūt.  
Et certè, ne nos in re seria iocari putas, multo con-

uenientior esset hæc allegoria, si diligenter omnia consideres. Nam quod eos dicis Spiritui sancto mētiri, qui se nō plus præstare posse dicunt quām præstant: id si verum est, quid illis fiet qui se nihil prorsus boni præstare posse confitentur, id est omnibus Dei seruis: Dicunt enim cum Daniele, Tibi, Domine iustitia, nobis autem faciei confusio. Neque id modestè magis quām verè faciunt. Nam si vel Abraham ipse ex operibus iustificatus est, habet de quo glorietur, sed non apud Deum. Patentur ergo fideles suam *ad diuersas*, non ut peccatum suum inficiantur, sed ut suam *in caritate* in Christo querāt: & nisi id facerent, Spiritui sancto mētirentur, tantū abest ut quid sit Spiritui sancto mentiri rectè definias. Quod si quis vestra hæc omnia coniunxerit: Primum scilicet vestram illam vitæ correctionem, quæ vna ad Christum patefacit aditum, ut ait Bellius, quasi regeneratio nostram cū Christo coniunctiōnem præcedat, id est à natura nō à gratia proficiscatur. Deinde, vestræ illius non aureæ sed plumbeæ & adulterinæ monetæ definitionem, in qua de Christi beneficio nullum verbū. Tertio loco, istam definitionem eorum qui Spiritui sancto mentiuntur. Postremo, quod de Christi crucifixione affirmas, nimis rum in figura factam esse. Si quis, inquam, hæc omnia contulerit, vix fieri potest, ni fallor, quin vos cōperiat à Pelagio nihil prorsus dissētire tribus in rebus. Primum, quòd quantum tribuitis Naturæ, tantum beneficio Gratiae detrahitis. Deinde quòd perfectionem hīc aliquam homini cōtingere somnitatis. Tertiò quòd Christi crucem ut exemplar dunta

xat nobis proponitis, nimirum ut, quod olim dicebant Pelagiani, sicut peccatum in homines ab Adamo non propagatione, sed imitatione transiit, ita etiam Christi imitatione non insitione tollatur. Nā certè hæc duo inter se cohæt̄, vt rectè docet Augustinus: quē tamē fateor alicubi de Christi passione, sepultura, & resurrectione ita loqui, ut illis velit totidem fidelium vitam configurari. Sed hoc ita ipsum intellexisse ut mortificatio nostra non tam sit Christi mortis & sepulturæ imitatio, quām effectus, ex infinitis aliis locis appetit. Quod si vos quoque sentitis, bene habet, & Deo gratias ago quod ad ceteros vestros errores istam blasphemiam non adiunxeritis. Sed hoc tamē quomodo cum reliqua vestra doctrina consentire possit, videre me non posse profiteor.

**Lib. I. de peccatorum meritis & remissione.**  
**Enchiridio ad Laurentium**  
**cap. 53.**

**Ottaviani:**

Cæterum hæc quoque verba paulo post subiicis. *Paulus ipsum Christum non iam secundum carnem cognoscet̄, sed secundum spiritum: & nos ipsum Paulum & Petrum cognoscemus secundum carnem?* Hic vero non possum imperitiam tuam, aut improbitatem potius, satis admirari, qui Paulum & Petrum hic dicas à nobis secundum carnem cognosci, id est quatenus cæterorum hominum similes fuerunt. Id enim est, opinor, quod Paulus ait, Secundum carnem cognoscere. Nos autem, ut tu ipse nosti, in hoc exemplo Petrum & Paulum non modo ut Apostolos, sed etiam ut cælesti plane virtute donatos consideramus. Debueras quidem certè reminisci quid paulò ante scripsisses, Petrum scilicet usum hic esse spirituali telo (quod tamen tibi non concedo,) & quidem à Spiritu sancto

doctum, Deum ipsum denique potius quam Petru  
hanc Ananiæ cædem peregit: quæ duo posteriora  
tecum fateor & agnosco. An hoc est verò Christum  
& eius Apostolos secundum carnem cognoscere?

Sed reliqua persequamur. Cur non, inquis, imitamur Non.  
eos in sanandis ægrotis, aut resuscitandis mortuis? Quod si nō pos-  
sumus, nolimus uitam ijs adimere, quibus uitam dare non possi-  
mus: præsertim uetante Domino, cui stant aut cadunt. Pudet me  
verò istas tam frigidas calumnias refellere. Tātūm  
dico, quæstionem hanc esse à spiritu Anabaptisti-  
co profectam, quo te quidem agitari non satis potes  
dissimulare. Nam si valet ista ratio, vt nulli licet  
occidere nisi qui vitam possit dare, quid superest ut  
capitalia omnia iudicia tollantur? Nam afferre nul-  
lam rationē potes, cur hoc potius in causa religio-  
nis quam in aliis criminibus valere debeat. Quod  
autem vetare Dominum dicis ne id fiat, tam impu-  
denter id à te cōfingitur, vt vel hoc vnum factū sa-  
tis declaret nullum esse tantum mendacium quo  
non facilè vtaris, vt qui sacrosancta verbi Dei au-  
toritate tam confidenter audeas abuti. Nā eo Pau-  
li loco quem velut indice commonstras, de priua-  
tis iudiciis & rebus mediis agi ne tu quidem ipse  
ignorare potes. Et hæ quidem sunt argutæ illæ Mō  
fortii refutationes, quibus vix quicquam puto in-  
eptius vel obtusius fingi potuisse. Et tamen mirū  
est quo supercilio ista soleant à nouis ipsis Aca-  
emicis proponi, & quanta auditate à paucis quibus  
dam excipi, quibus vtinam meliorem mentem cō-  
cedat Dominus. Illorum certè audaciam & sum-  
mam impudentiam breui, vt spero, retundet.

r.iii.

## Ecclesiasticæ historiæ exempla.

Tandem verò ad Ecclesiasticæ historiæ exépla venio, quæ iam antè sunt à nobis magna ex parte commemorata, quum religionis curā doceremus ad ciuilem Magistratum vel præcipuè pertinere. Constantinus igitur, sub quo primū Imperatore

Nicephorus Ec-  
clesiæ historiæ li.  
8, cap. 18. & 25.

1. & 2. Cod. de  
paganis.

1. Niceph. lib.  
18, cap. 4.

2. 1. Cod. de  
hær. & Manich.  
1. 2. Cod. Ne san-  
ctum baptisma  
iteretur. l. 1.  
Cod. de apostas-  
tis.

3. 1. quicunque,  
Cod. de hær. &  
Manichæis.

4. Niceph. lib.  
17, cap. 9.

5. Niceph. li. 12.  
cap. 1. & 29.

Ecclesia pacem habuit, post coactam illam Nicænam Synodum ita est Ario aduersatus, ut eius etiā libros (quod nostris Academicis pro summa crudelitate dicitur) publicè cremari, & qui id facere neglexissent, capite puniri. Idololatras autem, ipsosque adeò Prouinciarum rectores qui eos vindicare neglexissent, vltore gladio sterni imperarit. Valentinianus quoque, Gratianus, & Theodosius Augusti eandem aut non multo leuiorem in idololatras pœnam statuerunt, cuius horrendum exemplum editum esse legimus <sup>1</sup> in Anatolium quendam Antiochenum, & eius flagitiorum socios. Annabaptistas autem & cæteros hæreticos iis pœnis subiiciunt, quas meritò certè existimes ipsa morte acerbiores. <sup>2</sup> Nominatim verò Martianus eos qui tentant illicita docere, ultimo supplicio coercet. <sup>3</sup> Iustinianus quoque in eos qui Seueri scripta sibi seruanda statuissent, capitalem pœnam cōstituit. <sup>4</sup> Nō nego tamen de Gratiano scriptum extare quod nostris Academicis mirificè placet, ab eo scilicet constitutionem esse perlatam, ut quam quisque vellet, religionem sequeretur, & conuentus Ecclesiasticos semoto metu, omnes agerent, præterquam Manichæi, & qui Photini & Eunomii sectæ essent. <sup>5</sup> Itemque de Theodosio, ipsum nullam hæresin persecutū

esse, neque quempiam ad communionem coëgisse,  
 sed potius permisisse ut hæresis quælibet suo lo-  
 co pro eo atque ei visum esset conuentus agere, at-  
 que etiam de fide in Christum pro cuiusque ca-  
 ptu sentire atque opinari posset. Sed est profecto  
 Græcorum in istis scribendis historiis manifesta  
 vanitas. Viderint igitur scriptores quomodo ista  
 possint cum iis constitutionibus conuenire quas in  
 Iustiniani Codice legimus. <sup>6.</sup> Sed & (vt liberè dicam  
 quod res est) in ipsis Imperatoribus & zelum & sci-  
 entiam maiorem à nobis meritò requiri facile co-  
 gnoscet quisquis res ipsorū gestas diligētius per-  
 legerit. Quanquam etiam fateor tantos fuisse eorū  
 temporum tumultus, Romano iam imperio domi  
 & foris miserrimè vexato, tantāmque Episcoporū  
 ambitionem, tantam denique rerum omnium per-  
 turbationem, vt saper numero Principes officium  
 suū neque intelligere, neque facere potuerint. Prin-  
 cipes certè profanos in tuēda sua superstitione mul-  
 to fuisse diligētores & seueriores vel ex eo intelli-  
 gitur quod disertè scribit Liuius, iam inde scilicet  
 à Romanæ Reipublicæ initiis negotium fuisse Ma-  
 gistratibus datum, vt sacra externa fieri vetaarent:  
 sacrificulos vatésque foro, circo, vrbe prohiberent:  
 vaticinos libros conquirerent, cōbureréntque: o-  
 mnem disciplinam sacrificandi, præterquam mo-  
 re Romano, abolerent. Poena autem quænam addi-  
 ta fuerit, Paulus Iuriscons. his verbis declarat, Qui  
 nouas, inquit, & vsu vel ratione incognitas religio-  
 nes inducunt, ex quibus animi hominum moueantur,  
 honestiores deportantur, humiliores capite pu-  
 r. iiiii.

6. 1.2. & 1. Ar-  
 riani. Cod. de  
 hæreticis.

Dec. 4. lib. 9.

" " " "

Lib. Sentēt.  
 5. tit. 23. De  
 vaticinatori-  
 bus.

niuntur. Quamobrem nō est quod ab istorum Imperatorum temporibus Christiani principes officii sui rationem mutuentur, neque cum aduersariis hoc quidem loco mihi magnopere contendendum puto. Verbum Dei potius amplectantur, & eorum imitentur exempla quorum pietas & sanctitas ipsius Spiritus sancti testimonio cōprobatur. Hæc enim est norma, hæc regula, hæc præscriptio voluntatis Dei, à qua qui aberrauerit, fieri non potest ut is habeat quod in vita sequatur.

Conclusio totius disputationis.

Quum autem hanc esse Dei voluntatem ex ipsis verbo ostenderimus, vt religionis contemptū vel capitali pœna vindicet Magistratus, idque boni & sancti omnes Principes usurparint, & quæ pro contraria sententia dici solent satis commodè, nifallor, refutauerimus, profiteor me non posse iis assentiri qui in causa religionis nullum capitali supplicio locum esse existimant: à quibus tamen haec nus dissentio, vt non nisi extremis malis extrema remedia putem adhibēda, & in his etiam extremis remediis tantam moderationem tenendam, vt charitas & clementia Christiano homine digna nunquam violetur. Est enim in istis magna habenda ratio, primò quidem personarum, deinde verò errorum, postremò ipsarum quoque pœnarum, vt rectè quidam exposuit, is scilicet in quem Monfortius egregiam illam suam refutationem scripsit, cuius tandem verba exscribere placuit, partim quia totā huius controversiæ summam planè ac dilucidè expoundunt, partim vt quod fuerit Academicorum in hoc

doctissimo homine reprehendendo iudicium, om-  
 nes cognoscant. In personis igitur, inquit ille, ma-  
 gna est diuersitas . Sunt enim antefignani & duces  
 peruicaces in erroribus, qui audaceſ ſunt, hypocri-  
 tæ, & loquaceſ, & idcircò ad ſeduccendum appoſitif  
 ſimi, ipſi quidem citra emendationem in propriam  
 ruentes perniciem, & alioſ ſecum pertrahenteſ . Et  
 hi modiſ omnibus ſunt coercendi veluti Ecclesiæ  
 peſtes, ne contagio ipſorum ceu Cácer ferpat latius.  
 Sunt deinde ſeduſti quidam ac dementati ab aliis,  
 qui errant, ſed non malitia, neque pertinaciter, ſed  
 reſipiscunt in tempore. Hos non oportet damnare  
 protinus, ſed orare Dominum, ac ſuſtinere, erran-  
 tésque ſpiritu lenitatis & mansuetudiniſ eruditire, do-  
 nec redeant ad mentem meliorem.

Porrò in erroreis dogmatibus alia aliis ſunt  
 grauiora. Sunt quædā adeò blaſphemæ, impia, & in-  
 digna vt ne audiri quidé, nedum ferri poſſint. Sunt  
 quæ recta & palam tendant in ſubuersionē Reipu-  
 blicæ: niſi in tempore ſopiantur. Oportet autē Scri-  
 pturis & manifeſta veritate euincere illa quæ in ac-  
 cuſationē veniunt eſſe talia, qualia dicūtur. Cōper-  
 ta veritate, & productis apertiſ teſtimoniis Scriptu-  
 ræ, licebit in blaſphemos & eueroſ Ecclesiæ Rei-  
 publicæ que grauifſimè aniſaduertere . Sed leuior  
 mitiōrq; poena decernatur contra erranteſ in leui-  
 bus, non in capitalibus erroribus. Nam errant qui-  
 dā, ſed ita vt horū erroribus Deus non blaſphemē  
 tur, & Ecclesia cōſiſtat: denique ipſa nō interturbe-  
 tur Republica. Vbi rurſus occurrat illud Apoſto-  
 li, Alter alterius onera portate. Item, Infirmos in fi-.

» de suscipite , non ad diiudicationes disceptationū.  
 » Iam & in suppliciis & pœnis insigne est discri-  
 » men . Pertinaciter errantes , & alios secum in erio-  
 » rem abducere , inque erroribus retinere contéden-  
 » tes , blasphemi & perturbatores , imò subuersores  
 » Ecclesiarum iure cædi possunt . Ideo tamen capit is  
 » supplicio non protinus afficiendus est omnis qui  
 » errat . Et quæ minis & increpationibus curari pos-  
 » sunt , non debent acerbioribus elui & puniri . Mo-  
 » dus in re qualibet optimus est . Est & multa pecu-  
 » niaria : sunt carceres in quos concludi possunt , ne  
 » alios inficiant qui veneno prauæ doctrinæ & fidei  
 » corrupti sunt . Sunt & aliæ corporum afflictiones ,  
 » quibus coërcentur errantes , & vt minus noceant a-  
 » liis sanis , & vt ipsi seruentur , non toti pereant , sed  
 » resipiscant . Sed timor Dei , æquitas & prudentia iu-  
 » dicis intelliget ex circumstantiis quomodo punien-  
 » da sint in seductoribus & seductis praua dogmata ,  
 » & peruicax rebellio , aut stolida & minimè malitio-  
 » sa credulitas .

» Admonitio seria & diligēs locum non habet in  
 » sceleribus nefandis iam perpetratis , & gladio eluen-  
 » dis: curet ergò Magistratus vt moneat in tempore  
 » monendos . Nam admonitio seria & diligens dili-  
 » genter est commendata omnibus proceribus , exer-  
 » cenda erga subiectos , & iam aliqua in re periclitan-  
 » tes . Sed & prudentes & pii Magistratus non rarò  
 » pepercerunt peccantibus ignoranter , resipiscenti-  
 » bus autem ad seriam admonitionem . Dominus in  
 » Euangilio iubet admonere peccantem , & obsequé-  
 » ti parcere , rebelli grauiora iniicere . Et Iosue prius-

quam ad arma conclamaret , missa legatione iubet ..  
 Rubenitas cum sociis demoliri aram, quam illi vi- ..  
 debantur extruxisse contra legem Domini . Et Iu- ..  
 stinianus Cæsar resipiscientibus amplectentibus ..  
 que meliorem sententiam, vitam cōcessit . Constitu. ..  
 109. Nam & Iosias nō omnes erroribus implicitos ..  
 occidit, sed incurabiles maximē . Moderatio ergo ..  
 adhibenda Magistratui in fontibus puniendis. ..

Hactenus ille, cuius sententia cum superioribus  
 argumentis coniuncta , moderatis omnibus inge- ..  
 niis & veritatis amantibus , vt opinor, satissimacit.  
 Hoc vnum tamē adiiciam , Principum officium in  
 religione aduersus præfractos & factiosos Ecclesiæ  
 perturbatores vindicanda, ad triacapita non ineptè  
 posse reuocari . Primūm enim id obseruare debet ut  
 intra potestatis suæ fines & cācellos sese contineat,  
 ne scilicet audeat de hæresi iudicare, quum hæc sint  
 Ecclesiæ nō Principum partes . Deinde ut hæreses  
 iudicia sancte & incorrupte curent exercenda, non  
 ex vlla hominum auctoritate , quicunque tandem  
 illi sint, aut vllius tēporis ac consuetudinis nudo  
 præiudicio , sed ex pura & sincera verbi Dei ad- ..  
 ministratione: ne scilicet sese, per errorem, non ve- ..  
 ritatis Dei vindices, sed alienæ crudelitatis admini- ..  
 stros præbeant . Postremo, vt postquam placida ac  
 legitima hæresis cognitio præierit, tum demum di- ..  
 ligenti omnium circumstantiarum habita, sicut di- ..  
 ximus, ratione, eam pœnam decernant , per quam  
 Maiestati Dei suus honor asseratur, & Ecclesiæ paci- ..  
 ac tranquillitati cōmodè caueatur . Hæc igitur no- ..  
 stra est de tota hac quæstione sententia, in qua expli-

canda vt paulò prolixiores essemus singularis eorum improbitas fecit, qui nobis istius scriptionis occasionem præbuerunt. Neque enim ego cum quaquam, nedū cum bonis & minimè contentiosis hominibus, qui paulò aliter fortassis sentiunt, contentionem suscepi: sed Ecclesiæ potius patrocinium recepi, quam impudentes isti Academicī per clementiæ & modestiæ simulationem subuertere iam pri dem moliuntur. Idque oppositis etiam eorum non minibus quorum famam & existimationem ferre non potui tam impudenter & calumniosè ab istis violari. Obscurō enim quid nobis relinquunt qui quum temeraria hominū iudicia prohibere videantur, tamē de ipsa Dei Ecclesia tam sinistrè iudicant: qui quū nihil velint in religione ita affirmari ut contrariū dānetur, ea tamē asseuerāt quibus nihil deterritus, nihil sceleratus fingi possit: qui Deū cū idolo cōfundunt: qui nō aliā in Christianis quām in Dabolis fidē requirūt: qui salutē à nobis inchoant: qui Christi statum & officium, Trinitatē, prædestinatio nē, liberum arbitrium ponunt in earum rerum numero quæ neque ad salutē obtinendam sint necessariae, neque si sciantur, meliorē hominē efficiant: qui in religionis controuersiis etiam cum Papistis, veluti de invocatione Sanctorum, de iustificatione, de libero arbitrio, de Baptismo, de Cœna Domini, vīdicias secundum libertatem dandas, id est suo iudicio quenque relinquendum putant, quòd de his, obscuris scilicet quæstionibus, & quarum cognitio ad salutem non est ita necessaria, certi nihil dū constitui possit: qui Gamalielis sententiam in vtrāque

partem claudicantem nobis pro regula proponūt? qui Scripturam obscuram & ænigmaticam, qui no  
 uas reuelationes vberiores & clariores expectandas esse tradunt? qui pro fide opinionem, pro veritate ve  
 risimilitudinem, pro necessitate probabilitatem in  
 uehunt? qui hæreticis adeò apertè patrocinātur vt  
 nullum hominum genus Reipublicæ minus esse  
 metuendum asseuerent? qui hæreticos non modò  
 nunquam occidendos, sed ne puniendos quidem ar  
 bitrantur? qui ciuilem Magistratum ab omni reli  
 gionis cura remouent? qui Magistratus cum latro  
 nibus comparant? qui tot Scripturæ locos tam im  
 pudenter corrumpunt? qui fanaticis suis allegoriis  
 Scripturam totam in somnia conuertunt? qui tot  
 sanctorum Ecclesiarum religiosissimos Magistra  
 t°, tot fideles gregis Domini Pastores infinitis calū  
 piis & maledictis onerant? qui denique hæc omnia  
 non iam obscurè murmurant vt antea, sed palam  
 editis libris declamitant? Hæc enim sunt portenta,  
 hæc errorum monstra, quæ quum iam olim alerēt,  
 tandem quum Seruetus ille optimus ipsorū frater  
 culus pœnas dedisset, cōtinere diutius nō potuerūt.  
 Itaque quasi clemetiæ patrocinio suscepto, vt sim  
 pliorum animos ab eo quod præcipue quærunt,  
 auocarent, ita sunt commoti indignatione ex inno  
 centissimi illius Serueti martyrio suscepta, vt totū  
 hoc virus in Ecclesiam Dei euomuerint. Quòd si  
 eam quam iandiu quærunt licentiam adipisci po  
 tuerint, quod erit scelus, quod flagitium quod non  
 aggrediātur? Itaque quum hīc à nobis quæritur, An  
 sint hæretici à Magistratu coercendi: non de re ni

hili contenditur, non de re parum necessaria disputatur, sed de Ecclesiæ salute & incolumitate à nobis agitur: de eius, inquam, Ecclesiæ salute quam Filius Dei sanguine suo sibi acquisiuit, in cuius finu & visceribus istos nimis diu foueri cōspicio, vt nisi maturè occurratur, prius capiédi simus quām nos oppugnari sentiamus. Vos igitur sancti & fideles Ecclesiarum Magistratus, vos vigiles Ecclesiarum Pastores, tēque nominatim illustrissime Virtembergensis Princeps, cuius clarissimum in Ecclesia Dei nomen istos crudelissimos Ecclesiæ Dei vastatores nō puduit suis hæresibus præponere: vcs, inquam, ego fidelium minimus hortor & obtestor, vt albos istos Lupos gregem Dei vobis cōmissum inuadere parantes, omni studio, cura, industria, diligentia maturè repellatis. Deum ipsum denique, cuius verbo vos Academicci hanc iniuriam, vt ex eo controuersias religionis decidi posse negetis, & cuius Ecclesiā ita aspernamenti, vt pios eius Magistrat⁹ & fideles Pastores sœultiæ, crudelitatis, immanitatis falsò accusetis, aduersum vos inuoco, qui veritatē eius aut bene cognitam oppugnatis, aut certè volētes ignoratis: neque eo contenti, libris etiam editis simplicium fidei & conscientiæ per simulationem pietatis insidiari non desinitis. Nam vt vestra nomina, vt orationis characterem, vt eius ciuitatis nomen in qua hæc vestra edita est farrago, & multi præterea non multo sanè meliores libelli, studiose dissimuletis, tamen vestra vos impudētia, vestra no uitatis affectatio, vestra simulatio prodit. Itaque & qui sitis, & quid paretis omnes intelligunt. Utinam

verò Dominus consilia vestra dissipet. Certè id ita futurum tibi ego, Belli, tibi Monforti, totique vestræ factioni prædico.

## ERRATA SIC CORRIGO.

Prior numerus, paginam: alter versum indicat.

7.2 quisquā 10.5 inquis 17.21 faciāt 19.17 iidē 20.24 vos  
 22.12 vt vna 26.12 & 13 intelligent, vnum Ead.14 perficitur,  
 idcirco 27.21 Istius igitur 28.12 ostendimus: istud 31.12 sigilla  
 tim responsione ad singulas Ead.15 impetrabunt, Ead.25  
 molliam, 33.5 Itaque illos '34.13 & 14 Quæ parenthesi inclu-  
 sa sunt, maiusculis literis scribi debet. 35.17 prodass 39.28 nō  
 sint vsque 50.19 & verè 53.13 natus 56.26 Cur igitur?  
 57.8 procurēt 58.1 A versu primo ad decimum quintum quæ  
 literis Italicis scripta sunt, maiusculis scribi debent. Ead.15  
 Hac autem 59.28 iustificati 61.26 (nam qui dicit, &c. men-  
 dax est.) 68.17 nunquam ab ea sit dubitatum: Ead.19 mul-  
 tò quām. 72.24 dices, quod 75.3 Deinde in ipsis 87.9 re-  
 tinentes 105.3 cælesti 113.12 Et hæ quidem 115.28 repugnā-  
 te 121.13 An Iosias, quum 122.6 Inclusa parenthesi maiuscu-  
 lis scribantur. 127.29 & 30 Magnum &c. consequitur hæc sen-  
 tentia maiusculis quoque scribenda. 131.22 Habet autem hoc  
 argumentum 151.12 publicæ 157.4 peccatis (vt quidam vo-  
 cant) Ead.22 debet magistratus.













